

Oca. 7.



HISTORIA SECVLI PRIMI
FABVLIS VARIORVM
MACVLATA

QVAM

D. O. M. A.

PRÆSIDE

JO. ANDREA SCHMIDT

ABBATE MARIÆVALLENSI

S. Theologiæ Doctore ejusdemque ac Sacrarum
Antiquitatum Professore Publico Ordinario

*Patrono, Præceptore ac Hospite suo
æternum de venerando*

publice eruditorum disquisitioni subjiciet

RESPONSVRS AVTOR

JO. HENR. WEDDERKAMP


Vltzensis

ad diem XV. Maji



HELMSTADII,

TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.
ANNO M DCC.



Handwritten signature or initials.

Handwritten text, possibly a date or location.



PER-ILLVSTRI ET EX-
CELLENTISSIMO DN.

DOMINO

ANDREÆ

GOTTLIEB

à BERNSTORF,

DOMINO IN BERNSTORF

VEHDENDORF ET

RELIQV.

*SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI*

DOMINI

GEORGII GVILIELMI

BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGEN-
SIVM DVCIS

PRIMO STATVS MINISTRO

&c. &c.

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

NEC NON
VIRO SVMMME REVEREN-
DO atq; AMPLISSI-
MO DN.

DOMINO
FRANCISCO
EICHFELD

THEOLOGO DE ECCLESIA
CHRISTI MERITISSIMO
CONSILIARIO ECCLE-
SIASTICO

atque
SVPERINTENDENTI SV-
PREMO

DOMINO PATRONO ET PROMO-
TORI SVO AVITERNVM
COLENDO.

UT ET
VIRO MAGNIFICO atq; AM-
PLISSIMO DOMINO
DOMINO
ANTHONIO
GEORGIO
HELBERG
CONSILIARIO AVLICO
GRAVISSIMO

DOMINO PATRONO, PROMOTORI
ET AGNATO SVO PIA MENTE
SVSPICIENDO.

Hanc dissertationem historico ec-
clesiasticam humillima & devo-
ta, qua par est, mente


D. D. D.

AVTOR.

JO. HENR. WEDDER- KAMPPIO.

Philosophiæ & Theologiæ cultori probo
ac maxime industrio
S. P. D.

PRÆSES

 *Væ Te ratio movit charissime Wedder-
kampii tempus tuum, sacratoribus musis
dicatum, inter fabulas, fidei vel religioni
non aptas, quas instar aranearum, telas ex se texentium,
aliqui ex se ipsis comminiscuntur, exiguo consumere
fructu? An nescis Pauli monitum? ineptas & aniles
fabulas devita: quo Timotheum suum, vel si mavis
quemvis sincerum Dei rerumque divinarum cultorem,
munire voluit? Et si vim hujus devitationis nosse cu-
pis, audi aurei oris doctorem, Chrysostomum meum quæ-
rentem: Cur quæso non ait, sustine, sed devita?
Ne scilicet hujusmodi sibi exercitium sumeret
adversus ejusmodi frivolas observationes dimi-
candi. Neque enim fieri potest, ut qui contra
perversæ sententiæ homines pugnat, aliquid lu-
cretur unquam. Ceterum, si quando damnum
aliquod ex nostra taciturnitate metuimus, quasi
propter infirmitatem defectumque rationis me-
tuenti-*

tuentibus nobis adversus eos subire conflictum,
tunc necessario retundenda illorum improbitas
est. *Vides neutrum Tibi favere, cum cessante neces-
sitate, quæ urgeat, nullam promittat doctor ille utilitatem.*
*Sed bene se res habet! Taceo nunc secundum istud mo-
mentum in multis pro te militare posse, quia tertium
adhuc mihi adjicere licebit. Quid enim vetat argumen-
tum quodcunque eligere, in quo primas quis periclitetur
vires? Accedunt aliæ instituti hujus rationes, ut scili-
cet nostrarum lectionum privatarum in historiam eccle-
siasticam aliquem perciperes fructum, te ipsum in veri-
tate confirmares, & commodam haberes occasionem va-
rios evolventi autores. In hoc labore eam profecto
adhibuisti diligentiam, quam a meis exigere soleo, quamq;
in Te semper deprehendi, quoties vel philosophiam vel
theologiæ partes quascunque tractasti. Maxumopere
autem eandem nunquam non aestumavi, quoniam a pri-
mis vitæ academicæ annis comites habuit pietatem, mo-
rum probitatem & modestiam, sine quibus studia quæ-
cunque mihi nullius videntur esse momenti. Perge Tua
ita urgere, ut in amplexu istarum virtutum semper hæ-
reas, & videbis certo certius summi numinis benedictio-
nem, magnorum patronorum favorem & alia quævis
facilia, quæ me quoque gaudio non levi afficient. Va-*

le! Dabam e museo in Academia JULIA.

d. X. May A. O. R.

M DCC.

L. B.

L. B.

S. P. D.

A V T O R.



Qvod *Aristoteles* non inepte dixit *Φιλόσοφος Φιλόμυθος*, *Philosophus fabularum studiosus*; Id jure magnoque eruditorum consensu affirmare ausim de illis Pontificiis, qui sacras antiquitates exposuerunt. Quidam enim barbaro ævo barbaras fabulas confarcinarunt, cum & ipsi & cæteri, quorum tempore scribebant, historicæ fidei naturam ignorarent veraque a falsis discernendi facultate destituerentur. Alii, monachi potissimum, ut monasteria & templa sua redditibus auferrent, impudico ore eas nugas literarum monumentis consignarunt, ut nemini non lusum debeant ac ludibrium. Plerique historiam fabularum frequenti aspersione ea potissimum ratione contaminarunt, ut episcopi & cleri Romani placita, & per placita, fastus & divitiæ firmarentur. Ejus rei specimen concinnavimus in hac de fabulis primi seculi historie
riæ

riæ assutis dissertatione ; qua confutavimus
quæcunque sola sui lectione semet haud ever-
tebant. Duximus autem plerumque argu-
mentum a silentio veterum probatorumve
scriptorum, qua quidem ratiocinandi modo,
ut nihil frequentius est, ita nihil efficacius cen-
setur ad confellenda inanium virorum somnia,
ut *Johannes Dallæus præf. librorum de cultus
religiosi objecto* & ex ipsis Romani episcopi
asseclis *Johannes Launojus dissert. de autori-
tate negantis argumenti*, prolixè demonstravit.
Coeterum si quis mihi objiciat, me parum &
novi & accurati attulisse, illi ego non multum
adversabor, nihil enim dicitur quod non dictū
sit prius, nec sunt semper tam accurati tamq;
rarioris argumenti dissertationes, quæ suis au-
toribus videntur. Mihi sufficit, ea consuetari,
quæ deceant meam ætatem, mea studia, ac
scopum. Si quis autem, in ea sententia verse-
tur, nihil à studiosis edendum esse, quod non
aut rarum sit aut accuratum, ille perennia otia
faciet literatæ juventuti, quæ hac ratione fe-
riabitur suis exercitiis privata. Vale L. B. &
his meis conatibus fave.

SECTIO.

Q. D. B. V.

SECTIO PRIMA.

DE

FABVLIS MARIANIS.

CAPVT I.

DE

*Natiuitate, educatione &
voto Mariæ.*

THESIS I.

ANtequam ad fabulam ipsam de Mariæ natiuitate, educatione ejusque virginitatis voto nos accingamus, lubet paucis de diversitate sententiarum hic prius differere, ut adeo constet, quomodo ipsi harum fabularum patroni & sectatores inter se certent ac digradientur. Et in specie quidem quod virginitatis votum concernit, quidam ex iis credunt, Mariam voto parentum perpetuæ virginitati fuisse addictam, vel ante vel post natiuitatem. Alii opinantur, Mariam priusquam nuberet Josepho, votum hoc nuncupasse; alii denique dicunt votum istud a Maria post desponsationem consentiente Josepho fuisse susceptum. Primam sententiam ex veteribus *Gregorius Nyssenus oratione in diem natalem Christi Tom. III. pag. m. 346. seq.*

A sed

sed tanquam historiam apocrypham refert, quam postea Nicephorus H. E. lib. 1. cap. 7. it. lib. 2. c. 3. novis pro more suo figmentis auctam exhibuit. Verba hujus l. c. hæc sunt: *Inventa est beata virgo Maria dignum Deumque desens verbi domicilium, etiam ante nativitatem consecrata Deo, atque ex membris senilibus & longe a natura fervore alienis, tanquam quidam divinitus datus fructus producta. Joachim & Anna parentum erant nomina. Ambo accuratior juxta præscriptum legis, vita præstantes & clari, nec non primis quibusque & splendidissimis nobilissimisque genere connumerati. Vitam autem ad senectutem sine prole edita, produxerant. Erat enim ad liberorum procreationem Anna alvo infœcunda. Et cum ob sterilitatis causam non haberet communes cum matronis & matribus a lege tributos honores exemplo matris Samuelis ipsa quoque fit supplicans Deo, & in templo sedulo versatur, ne scilicet a benedictionibus legis excluderetur, sed ut ei mater esse liceret orans ac quod paritura esset, ipsi Deo dicaturam se esse vovens. Sed enim divino nutu ad eam quam petierat gratiam, Anna confirmata atque roborata, postquam puella e maternis prodiit locis, Mariam eam statim nominavit, anigmate latenter a Deo acceptam gratiam declarans. Ut vero infans a lacte materno jam abhorruit, & mammam attingere noluit, promissionem mater adimplet, & in templum ascendens, juxta votum eam Deo consecrat, tertium jam tum ætatis agentem annum. Et sacerdotes quidem tum eam tanquam sanctius quoddam donarium suscipere & puellam in sacrario fovendam esse duxere, ad antiqui illius Samuelis similitudinem. Itaque illa ut res divina, intacta, & sacro sancta in templi sanctiore loco & adytis ipsis vivebat.*

§. 2. Sed quid de his Nicephori nugis habendum sit, postea clarius elucescet, cum Baronii commentum, quod fere ejusdem farinae est, examinaverimus.

Scribit

Scribit vero hic annalium parens *app. ad ann. eccl. x. XXXIIX. seqq.* Joachimum & Annam parentes B. virginis, postquam per aliquot annos in matrimonio sterili vixissent, tandem Mariam hanc precibus a DEO impetrasse ipsique statim a cunis devovisse & ut ex Gregorio Nysseno addit, statim simulac ab lactata esset, a parentibus fuisse ad sacerdotes adductam, in templo oblatam ibique ad nubilem usque ætatem educatam. Mox vero subjicit verba Nicephori, qui H. E. lib. 2. c. 3. ex Evodio refert: *Mariam cum esset trimula in templum presentata ibi in sanctis sanctorum traduxisse annos undecim.* Pergit porro Baronius, Mariam quidem post obitum Parentum voto liberatam fuisse, ultro tamen votum virginittatis emisisse, & ita sanctissimæ huic virgini in perpetuæ virginittatis DEO dicandæ proposito primas esse deferendas. Ne vero huic voto obstare videatur desponsatio cum Josepho inita, dicit Josepho sponso virginem esse datam non ad opus conjugii sed potius ob virginittatis custodiam & non prolis causa. Provocat iterum ad Nicephorum, cujus verba l. c. hæc sunt. *Postquam autem (Maria) adolevit, consilium sacerdotes agitarunt, quid de ea statuerent, ne in sacrum ejus corpus admittere quicquam viderentur. Sacrilegium namque se prorsus commissuros putabant, si viro eam conjungerent, atque in servitutem conjugalis legis redigerent, qua semel DEO dicata esset. E diverso autem puellam eo ætatis flore in sacratiore templo versari, nec permissum lege putabant, nec rem satis honestam & decoram esse videbant. Sape itaque & multum re deliberata, divinitus eis per inspirationem ostenditur, ut eam alicui qui ad templum sedulo esset, sponsa nomine committerent. Eum vero talem esse debere, cui recte virginittatis custodiam demandarent. Porro non alius ipso Josepho visus est esse magis idoneus ad solorum sponsalium conjunctio-*

*nam contrahendam, quippe qui propinquitate generis eam con-
tingeret, (ejusdem enim tribus erant) insuper vero & sacro &
honestate morum, jam pridem bonae fidei existimationem con-
secutus esset.*

§. 3. Ne vero Baronius hæc gratis & ex
cerebro suo vinxisse videatur rationes affert & quidem
(I) ab auctoritate patrum desumptas. Dicit hæc con-
stare ex *Evodio*, cujus verba modo adducta apud *Nice-
phorum* extant, ex *Grngorio Nysseno* oratione de *Christi nati-
vitate*, *Johanne Damasco* de orthodoxa fide, *Germano*
Episcopo Constantinopolitano sermone de præsentia,
Andrea Cretensi de *S. Deipara*, *Georgio* Episcopo
Nicomediæ sermone de præsentia, aliisque (2.)
Provocat ad legem divinam in qua statutam esse
dicit tam de masculis, quam de foeminis Deo di-
catis votoque promissis redemptionem, quod per
singulos annos quisque siclos persolveret sacerdoti-
bus. Hanc vero redemptionem dicit fuisse liberam
& ex arbitrio voventis, si vellet in templo potius ser-
vire Deo, quam annuam pecuniam solvere exemplo
Samuelis I. Sam. II. (3.) Inferre hoc Baronius vult ex
structura templi Salomonei, in quo teste *Josepho Anti-
quit. Jud. Lib. VIII c. 2.* nonaginta cellulæ fuerunt in-
tra se invicem exstructæ, quæ habitationi monialium
fuerunt accomodatæ; fuisse vero cellulas illas habita-
tas docere exemplum *Josabæ II. Reg. XI.* probare e-
xempla mulierum excubantium in ostio tabernaculi
Exod. XXXVIII. 8. Macc. lib. II. c. III. 19. & exemplum
Annæ prophetissæ Luc. II. 37. evincere putat. (IV.)
Votum hoc in specie constare dicit ex verbis *Mariæ*
angelum alloquentis: *Quomodo fiet hoc: Virum non agno-
sco.* Fieri enim non posse putavit *Maria* (ita infert *Baro-
nius*

ronius) semel devota Deo virginitate se virum aliquando agniturum. Hæc sunt Baronii argumenta, quibus & educationem Mariæ in templo ejusque virginitatis votum adstruere conatur. Nos quid ponderis iis insit paucis videbimus. Lepidæ hæc fabellæ toti antiquitati incognitæ vel uno hoc nomine inter ineptias annumerari merentur. Ac quod ad Evodii testimonium spectat, illud certe nullum est. Locus Evodii extat in ejus epistola, quam *φωσ* lumen inscripsit. Illa vero epistola prorsus est supposititia, & si quid in his rebus video, recentioris Evodii est. Nisi omnia me fallunt, quadrat ad genium Evodii Uzalensis, cujus extant libri duo de miraculis S. Stephani. Quo minus autem Evodio Antiocheno præfuli adscribendam existimem, ea potissimum moveor ratione, quod hic apostolorum discipulus ignorare haud potuerit divinam constitutionem, qua mortalium nemini licebat sanctum sanctorum ingredi, si excipias summum pontificem, cui id juris non nisi semel in anno quæsitum erat, ceu testatur Spiritus S. Ebr. IX. 7. qui igitur Mariæ licuerit undecim annorum vitam in sancto sanctorum ducere? Addam epicrisin Gvilielmi Cave Part. II. Hist. lit. p. 9. *suspecta mihi videtur hæc epistola, nec aliunde, quam ex recentiorum Græculorum officina prodiisse. In omnibus primorum seculorum ne levissima mentio. Vix credibile est latere potuisse Eusebium qui omnium pene bibliothecarum angulos diligenter excussit: silent Hieronymus, Genadius & reliqui longo agmine scriptores ecclesiastici. Quid quod Baronius semel iterumque fatetur, hanc Evodii epistolam nemini veterum innotuisse, nec unde eam acceperit Nicephorus se invenisse. Quod attinet Gregorii Nysseni locum, ex oratione in diem natalem Christi desumptum, videtur ille quidem favere Baronio, attamen si rem recte perpendamus,*

contrarium potius inveniemus. Ipse enim *Nyssenus* sequentem in modum scribit: *Audivi quandam historiam apocrypham tales de ea prodentem narrationes.* Et sub finem narrationis ipse subiecit: *Hac Mariæ vox: quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco? declarat, ea, que ex historia incerti auctoris commemoravi, non esse penitus absurda.* Noluit ergo *Gregorius* hoc pro certo & indubitato fidei argumento venditare sed potius lectoris iudicio committere, utrum huic scripto fidem vel habere vel denegare velit. *Conf. Casaub. l. 21. p. 102.* Reliqui vero scriptores sunt mali commatis & recentioris ætatis, quam ut illis certa fides habenda sit in iis rebus, de quibus est altum in scriptura & apud veteres patres silentium, & præterea ipse *Baronius* fatetur de *Damasceno* ad ann. 31. n. 75. *in multis fidem ejus scripti vacillare, & compluribus scaterere mendaciis.* Quandoquidem vero nemo prudens gratis nugatur, ita statuendum est bonos hosce viros illam de virginitatis voto fabellam fraude non maligna sed pia excogitasse. Ut enim *Helvidio*, qui peculiari libello quam circa annum 380. docebat Mariam non semper virginem mansisse, sed post natiuitatem Christi *Josepho* carnali copula fuisse junctam, ut inquam, infano huic novatori rectius obviam irent, otum perpetuæ virginitatis commenti sunt, cujus tamen cordatiores doctioresve nunquam meminerunt, nec eo pugnandum esse credit *Hieronimus* in disputatione adversus *Helvidium* & *asseclas*.

§. 4. Alterum, quo *Baronius* educationem Mariæ in templo una cum virginitatis voto adstrutum iuit, desumpsit ex lege divina, qua statutam esse dicit redemptionem tam de masculis quam foeminis Deo dicatis votoque promissis. Sed hoc erat probandum *Baronio*, Judæos tam masculos quam foeminas Deo vovisse, cum

nos

nos doceat scriptura Exod. XIII. 2. quæ verba repetit Lucas c. II. 73. omne *masculum* Deo sanctum vocari, in quibus verbis mulieres excipiuntur. Hinc etiam Anna mater Samuelis I. Sam. I. 12. vovet, si Deus ipsi daturus sit *semen virile* se id illi consecraturam; ex quibus patet, non valere quod Baronius affirmat, tam de masculis quam de foeminis statutam esse redemptionem. Sed nec hoc procedit, quod refert Baronius, liberam fuisse cuilibet hanc redemptionem & pro arbitrio voventis, si vellet in templo servire potius quam annuam solvere pecuniam. Scimus enim non cuilibet fuisse permissum sacris ministeriis inservire, sed potius solis Levitis hoc jus competiisse; quod si ergo Judæi sodalitia quorumlibet masculorum non admiserunt, multo minus illos mulierum admisisse certum est, cum præterea teste *Nysseno* oratione de Christi nativitate, *mulierem inter sacerdotes in templo versari, atque in sanctis edibus conspici neque lex neque gravitas permittebat.*

§. 5. Hinc sponte sua fluit, frustra asserere Baronium cellulas illas nonaginta circa templum in habitationem virginum monialium esse exstructas. Istæ enim cellulae non ad habitationem monialium sed potius partim in templo ministrantium erant exstructæ, quorum certe magnus erat numerus, ut ostendunt illi, qui de ephemeris sacerdotum ex Judaica antiquitate commentantur, partim destinatae erant custodiae rerum sacrarum, thesaurorum, vestium, suppellectilis, annonæ, uti demonstravit *Jf. Casaubonus Excer. l. 22. ad App. Ann. XLIX.* Sed & exempla, quæ adducit Baronius, non faciunt ad stabiliendam ejus thesin. Nam quod concernit Josabam filiam Regis Joram, quæ Joasum oculis Athaliæ surreptum in templo per 6. annos celavit, id certe nihil ad rem facit, constat enim ex II. Chron. XXII,

XXII, II. Josabam, s. Josabeath fuisse uxorem summi sacerdotis, quæ cum in templo habitaverit, hunc Joasum ibi celare potuit. Locus Exod. XXXIIX, 8. ubi mentio fit mulierum in ostio templi excubantium, nihil aliud innuit, quam mulieres turmatim convenientes, privatae pietati suæ, non publicis ministeriis, non voti sed devotionis præsentis ergo, non perpetuo sed ad tempus fuisse operatas. Et ita etiam intelligendus venit locus Luc. II, 37. ubi de Anna prophetissa dicitur, quod nunquam venerit e templo, non quod semper in templo fuerit, & ut hinc opus habeamus ei peculiarem domunculam affingere: repugnat enim quod Lucas dicit l. c. *Hannam illa hora cum Simeon Jesum amplexus supervenisse*, sed potius verborum sensus hic est: Hannam singulis diebus publicis ritibus tam mane & vespere sacrificiis & reliquis ministeriis, exercitiis sedulo interfuisse assidueque in templo apparuisse; Locus vero II. Macc. III, 19. qui mentionem facit virginum, alius in populo non conspicuarum, loquitur tantum de omnibus urbis totius puellis honestioris loci, quæ educabantur in domibus parentum, quæ erant reclusæ non religionis, sed honestioris vitæ causa, ut pluribus hoc exponit *Is. Casaubonus Exerc. I. XXIII. ad App. Ann. LIII*, & ex antiquitate cum Græcorum cum Hebræorum, & ex ipsa vocis *virgo* apud Hebræos notatione patet.

§. 6. Ultimum argumentum, quo Baronius perpetuum virginitatis votum probare intendit, desumit ex verbis Mariæ angelum alloquentis, quomodo fiet hoc virum non agnosco? Mira ineptaque sophisticatio! omnes virgines, etsi virginitatis nullo detineantur voto, sic responsuræ sunt, si dicas, fore, ut pariant: non concepimus, dicent, ergo parere haud possumus. Conf. *Richardus Montacutius Analect. Exerc. VII. sect. III. seqq.*
His

His sane verbis Maria hoc saltem indicare intendit: Quomodo fiet hoc, virum non cognosco? nondum in sponsi domum deducta, nondum utor consuetudine conjugali, quomodo igitur gravida pariam. *Vid. Harm. Evang. Chemnitii ad h. l.* Quod ultimo concernit illud commentum, quo dicit Josepho Mariam esse datam in tutelam non prolis causa, id fictitium esse quilibet prudens facile animadvertet. *Repugnat enim proprietas verborum μνηστέυσα, desponsari συνέχευσα convenire uti propositum erat ἀνὴρ vir, γυνή mulier, quæ omnia non tutori, & pupilla, sed sponso & sponse marito & uxori conveniant. Vid. Heideggerus Anat. Conc. Trid. p. 108.*

§. 7. Uti autem, quæ hætenus commemorata sunt, merito rejiciuntur, ita pari loco habemus, quæ de Mariæ parentibus tradunt digladiantes inter se Pontificii. Recte *Montacutius Anal. Ecclesiast. Exerc. V. sect. II.* scribit: *Parentes sacratissima virginis certum est & de fide, de David esse oriundos. Negari non debet, licet sine salutis dispendio negetur Joachimum & Annam nominatos, de quibus ipsis plaustra quedam figmentorum, ineptiarum, impietatum blasphemarum impii homines & heretici, homines εὐήδεις & simplices, licet catholici & orthodoxi, vani etiam & ματαολόγοι mundo obtruserunt.* His nugis recensendis supersedeo, unumque id moneo, Baronii sententiam de matre virginis ineptam esse; quippe ex qua, ceu *Montacutius* probat, sequitur, eam non e tribu Judæ prognatam fuisse.

CAP. II.

DE

*Glomere & operibus manua-
riis nec non de reliquiis
Mariæ.*

§. I.

DE Mariæ glomere Chiffletius in *Crisi Historica de lin-
teis sepulchralibus Christi* p. 19. scribit. *In oppido Advan-
ticorum Hilo servatur etiam num ejusdem B. Virginis glo-
mus filo sacris digitis diducto & presso decorus, ita ut non te-
mere credi possit, eam, quæ inter Ægyptios ἀνέστη καὶ λινο-
πλόκῃς vixerat aliquamdiu, obnubendo filio sepulchrale suda-
rium propriis manibus laborasse.* Nos licet negare noli-
mus Mariam pro foeminarum more glomos habuisse,
hoc tamen inficiari haud veremur, levius instrumen-
tum adhuc extare. Primi christiani sanguinem Chri-
sti in cruce, crucem ipsam, & infinita alia, quæ Christi
corpore sanctificata novimus, haud asservarunt, & has
reculas asservaverint? Porro Pontificii, ut integra Ma-
riæ suppellex ipsis vindicetur, ejusdem pectinen asser-
vant. Vid. *D. Johannis Friderici Meyeri dissert. de con-
ventu Apostolorum ad mortem Mariæ.* De operis manuariis
non est quod refragemur Pontificiis. Neque enim o-
tiosa fuit Maria, uti nec Christus, qui juxta quosdam
Patres Josepho fabro opem tulit. Sed quod illi interu-
lam, fascias & alia Christi vestimenta ostendant, eaque
Deiparæ manibus elaborata clamitent, id commentum
est.

est ista religione dignissimum, quod ipsis non invenimus.

§. II. Sed quid dicam tandem de annulo ejus pronubo, de quo exstat liber Joannis Baptistæ Lauri Perusini? De hoc annulo fatentur Pontificii, nihil de eo innotuisse ante Gregorii V. tempora, hoc est, latuisse plusquam nongentos annos post Domini passionem. Circa hujus pontificis tempus gemmarius quidam Clusinus, Rainerus nomine, Romam missus est a Juditta uxore Hugonis, Etruriæ Marchionis, qui cum incidisset in alium gemmarium, Hierosolyma Romam profectum, & ab eo multas gemmas comparasset, ei dono dedit rudem illum annulum, quem cum subridens alius & videns exigui pretii esse rejiceret, institor ille laudavit munus: ne sis, inquit, nescius, *hoc annulo pronubo sponsus Joseph Mariæ digitum oppignoravit. Hunc habebis Rainere tecum, & ne in impii & nefarii cujusdam deveniat manus, sedulo advigilabis.* Hæc est origo fabulæ. Contemnebat autem hætenus annulum Rainerus, Clusium reversus, cujus filius, cum post XII. annos obiret, e feretro surrexit, patremque contemptæ religionis, Mariæ jussu insimulavit, qui annulum venerationi publicæ non exposuerit. Eo tempore campanæ, publicæ lætitiæ signa daturæ, sonitum sponte emiserunt, aliaque miracula annuli ope apud Clusinos perpetrata sunt. Postea furtim ablati ad Perusinos devenit, quibus deinceps magnæ ac diuturnæ lites cum Senensibus super annulo incidebant, ita, ut armis agros utrinque depopularentur. vid. *Hottingeri Hist. N. T. cap. XV. sect. 1. p. 140. seqq.* Notant *Locrius lib. V. Mariæ Augustæ c. XXXI. & Raysius Hierogazophylacii Belgici p. 57.* prodesse mulieribus difficulter parturientibus *rarum id virginis, si ejus sit,* (hoc ipsimet addunt) *monumentum.* Asservatur hodie

annulus in Aquicinizensi cœnobio ordinis S. Benedicti in Artesia, secundo milliari a Duaco, ut testatur *Rayssius l. c.* Quis refutabit admirandam traditionem? Boni illi nugatores ad Judæos referunt mores, quos a paganis ad christianos transisse certum est. Sane ex veterum Ebræorum scriptis demonstrari nequit, in desponsatione annulos adhibitos esse, quos si adhiberi dicant recentiores Rabbini, facile largior, morem hunc a christianis ad illos fluxisse. Quod ad rem ipsam attinet, faciunt nobis hæc otia ipsimet nugatores Papistæ, qui pie credi, quod opinantur, docent, demonstrari autem haud posse fatentur.

§. III. Porro detinuerunt Pontificii pilos, lac, vestimenta, zonas B. virginis Tiguri in cœnobio Eremitarum, ut tradit *Felix Malleolus libro de furto reliquiarum & Leopoldus Dorn Scoti Evangelici p. 37.* inquit: *De lacte B. matris Christi, quod variis in locis exhibent, in unum si colligerem urnam implerem.* In cœnobio Bertinensi asservantur chirothecæ & zona integra Deiparæ. Idem monasterium, ut loquuntur harum rerum præcones, multis capillis ejusdem virginis ditescit. Partem ligni de lecto Mariæ custodiunt Anglorum Collegii Audomarensis incolæ. Particulis de pallio, lacte & vestimentis Mariæ superbiunt canonici ecclesiæ cathedralis S. Donatiani Brugensium in Flandria Patroni tutelaris. Clavis una, quam possedit B. Virgo DEiparæ (sic loquuntur) suo etiam honore decoratur in virginum conventu, qui Gandavi situs est. Palma, quam S. Evangelista & Apostolus Johannes deferebat præeundo in exequiis S. Mariæ DEiparæ, asservatur in S. Mariæ cathedrali ecclesia Tornaci. Decapillis, vestibus indusio, cilicio, peplo vel velo particulæ asservantur in cœnobio Monialium Salsiniensi prope Namurcum.

De ve-

De vestimentis & camisia B. Mariæ asservatur Duaci in collegiata Ecclesia S. Amati. *Rayssius* p. 44. Ibidem de peplo & velo, & rursus de vestimentis DEiparæ ostentant ac ut paucis multis complectar, tam insane ac imprudenter de Mariæ reliquiis blaterant, ut plaustra non pauca vix illis vehendis sint suffectura. Neq; illud tacere possumus, ostendi hodiernum in *Lipsanographia*, sive *thesauro sanctarum reliquiarum electorali Brunsvico Luneburgico*, Hannoveræ anno 1697 edito, reliquias de lapide S. Mariæ a quo angeli Domini sustulerant eam p. 7. de vestimento Sanctæ Mariæ p. 14. de criminibus B. M. virginis p. 17. vitrum in quo oleum S. Mariæ, quod de ubere in Sardinia emanavit p. 37. de lapide B. M. V. p. 41. alia ejusdem reliquie p. 51.

§. IV. Restat, ut de ædicula Lauretana quædam subjiciamus. Domus est Mariæ, si credere fas est, in qua illa nata, educata, ab Angelo salutata & a Luca depicta est, domus, inquam, in qua ipse salvator duodecim primos ætatis annos transegit: Eam ajunt, Nazarethi ab apostolis in templum dedicatam, invalescente autem Muhammedana persecutione per varios casus multa que discrimina rerum ab angelis translata esse per aerem in Dalmatiæ quendam locum, Adriatico mari imminentem, deinde delatam inde in Picenum & quidem in sylvam Recinetensis agri, Lauretæ cuidam, piæ matronæ, propriam, postremo ex sylva in collem, hinc in publicam ejusdem agri viam, novo prodigio transportatam, ibi confedissee in hoc usque tempus, quo nunc religiosæ peregrinationes suscipiuntur. Vid. *Heideggeri Anat. Conc. Tridenti* p. 1159. Hanc ædiculam multis miraculis illustrant dicunt, de quibus *Montacutius Antidiatrib. contra Bulingerum* p. 214 ait: *Præstigia sunt mera, & figmenta. Locci religio, illa nupera. Domus sanctitas illa novitia. Nempe illam nuper confictam, consutam, natam fabellam, nuperrima*

excultam, & variis coloribus figmentorumque fucis politam de
 Diva Lauretana contra leges annalium, quibus singula per
 annos disponi deberent ad illum Christi annum expoliendum
 selegit cardinalis. Nos illud solummodo adjicimus,
 quod V. C. Henricus Ludolphus Bentheuius lib. de statu ec-
 clesiarum Batavarum part. II. p. 404. ex ore Stephani Le
 Moyne refert, nimirum Jacobum Sirmondum, literatis-
 simum Jesuitam, olim se Lauretum contulisse, ut inspi-
 ceret, ædiculam videretque, an sit orientali more con-
 structa: intellexisse autem & materiam & formam
 domus eandem fuisse, quæ fuerit reliquarum ædium,
 non procul inde obviarum, imo lapides manifesto ejus-
 dem conditionis fuisse cum illis, qui e contiguis lapi-
 cidinis effodiantur monuisse igitur, amicum suum Ba-
 ronium, ut fabulam annalibus suis secundum non inse-
 reret, quod, etsi promisisset, non tamen servasse Cardi-
 nalem.

CAP. III.

DE

Conventu Apostolorum ad mortem Mariæ, de morte ipsa & assumptione.

§. I.

Pergimus jam ad fabulam illam de conventu Apосто-
 lorum ad mortem Mariæ & de morte ipsa. Scribit
 de illa Nicephorus. *Hist. Eccl. libr. II. c. 21.* *Eo tempore cum*
Claudius quintum imperaret annum, & immaculatam Dei
verbi

verbi matrem mortem obire oporteret (quandoquidem & filius ejus, verum se hominem esse probans atque confirmans, ad grandiores exoleta senectutis aetatem non pervenit) unde sexagesimum illa agens annum, nuncium a filio per angelum de migratione & adventu ad se ejus, ita ut antea, quum ipse ad eam venturus fuerat, accepit. Itaque migratione sua ad hunc modum cognita, immensa repletur letitia, (quid enim dulcius ei, quam ut cum filio, & Rege suo esse contingeret) lumen ad eam infertur, domus purgatur, genere propinqui, ut par erat, accersentur, riteque & ordine, qua ad transitionem eam pertinent, preparantur, nuncium etiam illa, quem acceperat, iis, qui cum ea erant exponit, & praeterea victoria mortis trophaum (erat autem palma ramus) monstrat. Etiam tempus instabat, cum in Sion super humiliore lecto reponitur, & aderat Johannes, qui eam domi sua fovet, & praeterea quicquid Hierosolymis erat, foeminarum celebriorum, qua vel amoris necessitudine vel generis propinquitate ei conjuncta essent. Tum virgini discipulo & itidem aliis ipsa virgo praecipit, ut duas ejus tunicas vicinis viduis qua praeter ceteras propensiore erga eam amore atque pietate fuissent, donent. Sub hac vis lacrymarum ingens ex oculis omnium profluit, orbitarem suam migratione illius complorantium. Deinde caelitus filius ejus, cum innumerabili angelorum exercitu descendit, animam illius sanctam prorsus & divinam assumpturus: & tonitru atque nimbi sonitu confestim ex sinibus omnibus suos congregat discipulos. Hac cum immaculata prorsus virgo sciret, unicuique qua optaret, precatur, benedictione omnes dignatur, & extremis illos vocibus compellat: Vale dicens: migrationemque suam non luctu eos, sed gaudio potius prosequi, jubet, & qua ad exequias sepulturamque ejus pertinerent, suaviter & late exponit. Deinde Petrum ad se venire jubet, mox reliquos etiam apostolos vocat ardentes habentes faces, & mirifice exultans labiaque aperiens gratias filio agit: atque
n le-

in lectum rursus reposita manus reverenter & graviter ita ut illam decebat, elevat, & venerandum prorsus soleque ipso purius corpus pulchre componens atque conformans (videbat enim illum angelorum gloria circum circa tanquam satellitio stipatum,) cum voluptate & miraculo: Fiat mihi rursus inquit, secundum verbum tuum, atque ita charis illius manibus perinde atque obdormiens, beatam deponit animam.

§. 2. Sed ne temere hæc asseruisse videatur Nicephorus provocat ad testimonium Dionysii Areopagitæ, quod, cum nimis prolixum est, hic adscribere noluimus. Quid vero de hoc Nicephori testimonio habendum sit, docet Cave H. L. in Addit. p. 20. d. 1m dicit: *Historiam Nicephori ordine quidem non incommodo & stylo ratione ævi non invenusto esse conditam, fabulis vero putidissimis & quisquiliis ubique fere intertextis adeo esse vitiatam, ut iudice Casanbono non pluris quam folia farfari facienda sit.* Testimonium vero Dionysii Areopagitæ a Nicephoro adductum plane nullum est, cum Critici jam dudum e- vicerint, scriptum hoc non esse Dionysii Areopagitæ se pseudo potius alicujus Dionysii vid. Joh. Dallæus lib. de scriptis que sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur.

§. 3. Mariæ animam illustri cœlitum choro adscriptam esse nemo christianus negat. Nam quod auctor anonymus disputationis, qua probatum ivit, mulieres homines non esse, Deiparæ æternam beatitudinem abjudicat, id nec Pontificiis nec nobis imputari debet; ut taceam refutatum esse nugivendum, a Gedigio Theologo Hallensi & acriter notatum a Matthia Zimmermanno de Presbyteris.

§. 4. Verum de corpore docent Protestantes, illud a mortalium conditione haud quaquam fuisse exemptum, & probabilius dici, quod computruerit. Pontifi-

Pontificii contra autumant, illud statim post mortem in coelum fuisse assumptum, mirasque hic processiones sepulchrales comminiscuntur. Trahunt animam in coelum retrahuntque ad sepulchrum, & tam aperte nugantur, ut cordatis debeant jocum & ludibrium. Neque tamen hæc fabella inter solos quosdam manachos viget, sed adeo vulgari recepta est errore, ut pueris puellisque mature instilletur, quem in finem nominandus mihi est libellus vernaculo idiomate exaratus atque Canisii catechismo annecti solitus, cui titulus est: *Schöne Kinder-Spiel &c. Burkburg/ bey Joh. Wilhelm Bawbaum anno 1692. ubi quæritur ex juventute: Wo ist die Mutter Maria, ist sie vielleicht in der Kirchen auff den Altar? & mit Leib und Seele ist sie in Himmel / ihr Bildniß allein ist in der Kirchen.*

§. 5. Et sane miras iterum hinc Nicephorus affert fabulas, dum lib. XV. H. E. cap. 14. hæc habet: *Antiquissima & verissima omnino traditione receptum est, instante Mariae obitu, Apostolos ex ipsis orbis terrarum finibus, ubi ad prædicationem divini verbi obeundam dispersi erant, sublimes in aere Hierosolyma venisse, visione auspiciore hymnos divinarum potestatum exauditos esse: & absque strepitu aliquo, mirifico plane modo, verbum & filium ejus advenisse atque in manus suas divinum illius spiritum suscepisse. Sacrosanctum autem corpus illius angelica simul & apostolica hymnodia elatum, in tumultu quodam e regione Gezemani repositum esse, & in tertium usque diem, eo loco carmina angelos perpetua in laudem & honorem Dei genetricis cecinisse. Et cum eodem tertio die, is qui in obitu virginis matris choro apostolorum non affuerat (Thomas sc.) advenisset & sacrum illum coetum, ut tumultum recluderet, quo & ipse verbi matri debitum supremumque persolveret honorem, precibus sum-*

C

mopere

propere sollicitasset, atque sigillo ablato sepulchrum apertum es-
set, sacrum illius corpus prorsus repertum non esse, sed sepul-
chrales illius fascias tantum suo loco intactas & inviolatas per-
inde atque corpus ea paulo ante reliquisset, repertas, & qui-
dem inenarrabili odoris suavitate redolentes: eaque illos abunde
afflatos signaculo quodam rursus tumulo imposito abiisse, ad
miraculum tantum consternatos: atque illud solum pro eo at-
que decebat animo secum meditato, illum ipsum Deum ver-
bum & dominum gloria, qui subsistentia sua pro beneplacito
suo, eo, quem neque verbis neque intelligentia assequi liceat,
modo, carnem ex ea suscipere & deinde post ineffabilem illam
interi gestationem & partum, virginitatem illasam conservare
dignatus sit: illud, inquam, ipsum etiam post obitum & ex
hac vita migrationem mirifice immaculatum, impollutum, &
modis omnibus sanctum ejus corpus ante destinatum quoque &
communem omnium resurrectionem immortalitate cohone-
stasse, eoque per angelorum ministerium in loca quadam coele-
stium regionum lucidissima, & a corruptione alienissima trans-
lato, honore precipuo prosequutum esse, ne una cum reliquis
vel celeberrimis laudatissimisque hominibus resurgeret.

§. 6. De assumptione corporis certi nihil con-
stat, eo tamen insaniam abrepti sunt quidam Pontificii,
ut parum absit, quin totam Mariam in throno Trinita-
tis collocent. Audiamus Labbe, cujus hæc est vox pro-
fana in elogiis p. 16.

At qualis currus cujus aurigæ sunt immortales spi-
ritus?

Qualis illa, quæ ascendit & cui Deus fit obvius?

Hæc est regina naturæ & pene gratiæ?

Tali pompa excipienda erat quæ Deum exceperat

Affurge anime, dic aliquid sublimius.

Ante adventum Mariæ regnabant in cœlo tres per-
sonæ

Nec

Nec regnabant tres reges.
 Alterum thronum addidit homo Deus
 Adventante Maria tertius thronus est additus.
 Et nunc triplex in celo regnum est, ubi erat unicum
 Sedet proxima Deo mater Dei.

Hæcille, cujus certe commentum refutatione non indiget, de priori vero Nicephori asserto hoc erit habendum, quod illud, cum destituamur auctoritate veterum scriptorum, qui primitivis seculis vixerunt, hujusque ne verbo quidem meminerint, merito fabulis accenseatur, cum quanta Nicephori sit auctoritas Cave superius jam nos edocuerit. Addatur *Joh. Meisneri eruditissima dissertatio de morte Mariae*, qua omnia Bernhardi, Augustini cæterorumque Patrum testimonia examinat, & Mayeri dissert. superius citata. Sane ex Dionysio nihil probari posse, fatentur Cajetanus, Ribera, Eccius, alique, quos laudat Meisnerus, & nostri in toto pro veritate consensu.

§. 7. Fuerunt tamen in medio Papatu, qui de hac corporis assumptione tacerent. Nunc sufficiat mihi, inferioris Saxoniae nostræ decus, *HRosvitam* laudare, cujus opera primum impressa dedit Conradus Celtes, Saxoniae Electori Friderico 1501 dedicavit, ac exemplar variis carminibus a societate Polychiana in laudem Principis exornatum transmisit, quod memini me perlustrasse Jenæ in bibliotheca publica. Inter illa *HRosvita* nostræ opera exstat historia ascensionis domini, quæ graviter describit assumptionem animæ Mariæ, de corpore autem nihil quicquam addit. Assentitur quoque nobis *Johannes Launojus apud Spanhemium Introd. in H. E. N. T. p. 280.*

C A P. IV.

DE

Miraculis Mariae.

DE Mariæ miraculis extant volumina integra. Peculiaris tractatus de his additus est sermonibus discipuli de tempore 1492 Norimbergæ excusis. Ingentia quoque refert *Gvilielmus Pepin Theologus Parisiensis in concionibus de imitatione sanctorum, illis præcipue qua agunt de assumptione Mariae.* Referri huc debent commentitiæ virginis apparationes, de quibus prolixè agit *Alphonsus Mendoza Controv. Theol. p. 430.* sed hæc narrasse, est refutasse. Nicephorus & ejus generis heroes rem omnem soli attestantur.

SECTIO SECUNDA.

DE

FABVLIS CIRCA
CHRISTUM.

DE

Christi Præcursore Joanne.

§. I.

DE Christi præcursore Joanne Baptista multa enarrant Pontificii, quæ ipsorum religionem parum commendant, præcipue reliquias si spectes. Ambiani gloriantur, se faciem tenere, qua vulnus appareat, quod ei Herodias cultro inflixerit. Sed repugnat Joannis Angeli-

Angelici incolæ, qui eandem partem ostendunt. Occiput Joannis Rhodis olim, nunc Melitæ, & Nemorosi, cerebrum Novii Ranzoviensis, mandibulæ Vesontionæ, extremum auriculæ ad Sanflorid in Avernia, frons & capilli in Hispania, integrum caput Romæ in cænobio Sylvestri asservatur, quod olim inventum fuit apud monachos quosdam ex secta Macedonianorum, qui prius Hierosolymis morati fuerant, postea vero in Ciliciam migraverant, & tandem Constantinopolim deportatum. Vid. Sozom. H. E. lib. 7. cap. 21. p. m. 737. seqq. Digitus, quo Christum significavit, cum diceret, ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, sex diversis locis monstratur. Vid. Joannis Paschii dissert. de Joanne Baptista. In supra citato Hannoverano thesauro observabis p. 17. 27. 41. 46. reliquias S. Joannis p. 27. os de ossibus S. Joannis B. satis magnum nigricantis coloris auro insertum p. 31. machina in chrystallo ostendit aliquid reliquiarum cum literis Gothicis: *Dens S. Joannis B.* Sed non video quomodo singula convenient cum Theodoreti loco H. E. 3. 7. p. 130. ubi legimus tempore Iuliani, Joannis baptistæ arcam, Sebastæ repostam, fuisse apertam & ossibus igne consumptis, cineres hac & illac dispersos. Sed mittamus præcursores & ad Dominum veniamus.

DE

*Signis fabulosis nativitatem
Christi antecedentibus.*

§. 2.
Quanquam in scriptura S. Christi nativitas nobis tanquam abjectissimi cujusdam hominis describitur, nullorumque circa eam mentio fiat miraculorum, sunt tamen plurimi, qui admiranda prorsus circa illam esse

C 3

peracta

peracta arbitrantur. Scribit in eandem rem *Protevan-*
gelium titulo *Jacobi fratris Domini*: *Cum autem obambu-*
laret Joseph vidit polum cœlumve stantem & aerem obstupe-
factum & volatilia in medio cursu cessantia, & aspiciens in
terram, scapham cibariam positam vidit, & operarios recum-
bentes, quorum manus in scapha erant, & mandentes non
mandebant, & qui manus attollebant, nihil capiebant, & qui
ori suo offerebant, nil afferebant, sed omnium facies erant in-
tenta sursum. Et ecce oves erant dispersa, nec progrediebantur
sed stabant. Et elevans pastor manum, ut percuteret
eas cum virga, manus ejus stabat sursum. Et aspiciens in
torrentem fluminis vidit ora hircorum imminencia quidam
aqua, sed non potantia, sed omnia sub momento ab ipso cursu
erant impulsa. Et repente fuit nubes in spelunca & lux
magna, ita ut oculi nostri non ferrent. Et cum Salome tetige-
rit uterum Mariae, exarserit manus ipsius, quam cum puero
recens nato obtulerit restituta sit. Posterius de obstetrice
incredula commentum Baronius Ann. Eccl. Ann. I. n. VII.
ex Zenone eundem fere in modum refert, quando scri-
bit: Maria incurrupta concepit, post conceptum virgo peperit,
& post partum virgo permansit. Obstetricis incredula peri-
clitantis enixa in testimonium reperta ejusdem esse virginita-
tis incenditur manus, qua tacto infante edax illa flamma so-
pitur.

§. 2. Sed quid de his talibus habendum sit res
 ipsa loquitur: nimirum cum vere miraculum miracu-
 lorum illud extiterit, quod natura capere non potest,
 non est, ut de aliis & commentitiis, miraculis simus sol-
 liciti. Præterea etiam præter silentium Scripturæ S. &
 probatissimorum primitivæ ecclesiæ doctorum constat
 & jam dudum convictum est, evangelium adductum non
 esse

esse genuinum, sed potius a Judaizante quodam nebulo, seu ex Gnosticorum grege aliquo, confictum & sub venerandi Jacobi Apostoli nomine hominum credulitati sine fronte impositum. Vid. *G. Cave. Hist. Lit. part. 1. prol. it. p. 7. & D. Ittigit dissert. de pseudepigraphis.* Recte Bellarminus p. 25. de script. ecclesiast. inquit: *Ab ecclesia nunquam receptum est.* Et hinc fit, ut fabulæ istæ Baronio ipsi in fingendis fabulis alias minime parco suspectæ videantur, Zenonemque ex apocrypho quodam scripto hanc de obstetrice fabulam hausisse arbitretur.

§. 3. Aliud quoddam prodigium circa nativitatem Christi accidisse refert *Nicephorus Hist. Eccl. lib: 1. c. 17.* verba ejus hæc sunt: *Cæsar Augustus ad oraculum Pithiæ Apollinis proveciore jam ætate venit, & sacrificio omnium maximo, quod Hecatombe dicitur, demoni oblato, quesivit, quisnam post eum Romanum administraturus esset imperium? At eum nullum ederetur responsum, alterum quoque adjecit sacrificium denuoque rogavit, quid itaque oraculum pluribus verbis uti solitum nunc tandem obtinisset? Tunc illud parva interposita mora, ad hunc modum respondit:*

*Me puer Hebraus, divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.*

Tali responso accepto, *Cæsar Romam est reversus, atque in Capitolio aram maximam exstruxit, cum ejusmodi latina inscriptione: ARA PRIMOGENITI DEI.* Sed hujus rei falsitas vel ex eo facile liquet, quod ab evangelistis & aliis fide dignissimis simul & accuratissimis scriptoribus non est consignata, quam certe, cum pro stabilienda religione sua facerent, non fuissent omisuri. Præterea etiam *Nicephorus* est scriptor sequioris ævi, & cum non dicat, ex qua-

ex quonam libro hæc desumserit, merito ipsum ex proprio cerebro hæc scripsisse putamus. *Auctor enim est vanissimus, futilissimus, fabulosissimus, fabularum & nugarum compilator, prout audit Casaubone Exercit. I. ad App. Ann. Baron. n. XXV.*

§. 4. Aliamiracula, quæ Christi adventus præsentia ac futurorum bonorum præsentia fuisse dicuntur, affert *Orosius lib. VI. c. 18.* *Hora circiter tertia repente liquido ac puro sereno cælo circulus ad speciem cælestis arcus orbem cælestis arcus ambit, quasi unum eum ac potissimum in hoc mundo solumque clarissimum in orbe monstraret, cujus tempore venturus esset, qui ipsum solem solus, mundumque totum & fecisset & regeret.* Addit & aliud prodigium *c. 19. l. c.* quod Romæ circa nativitatis Christi tempora visum atque adventus Christi præsentium fuisse putat. *Romæ inquit, e taberna meritoria trans Tiberim oleum e terra erupit, fluxitque toto die sine intermissione.* Hæc dicit *Orosius*, sed veritatem ejus non probat, hinc merito signa hæc fabulosis adscribimus, cum constet, auctorem hunc & mere in credendo narrandoque facilitatis esse & quinto demum seculo vixisse.

§. 5. Templum pacis quoque ea nocte, qua Christus natus est, collapsum esse nonnulli Pontificiorum tradunt. *Guilielmus Eisengreinius in opere suo quod centurionibus Magdeburgensibus oppositum est, ita de eo scribit: Statua illa aenea in Romuliano palatio, quam Romulus posuerat, dicens: Non cadet, donec virgopariat, & pacis templum Romæ corrui, ne alibi quam in Messia, quem Esaias c. 9. pacis principem nominat, alma pax queretur.* Sed meræ hæc sunt fabulæ, ortumque debent, ut *Baronius Ann. Eccl. Ann. l. n. XII.* recte annotavit, homiliæ incerti
cujus-

cujusdam auctoris, & quam merito rejicit, cum templum pacis nondum tempore Augusti exstructum, sed potius tempore Vespasiani erectum sit, uti hoc testatur *Suetonius in Vespas. c. 9. Josephus lib. VII. de bello Jud. Plinius lib. XXXVI. c. 25. Vid. Baronius l. c. ubi fusius hæc persequitur. Commentum vero illud de statua ænea scriptoribus coævis & primitivis plane est ignotum, adeoque merito rejiciendum.*

§. 6. Certius quoddam prodigium circa nati-
vitatem Christi fuisse putat *Natalis Alexander*, quod Cæsar Augustus circa id tempus nomen Domini recusarit. *Eodem tempore, inquit, hic, ad quem rerum omnium summa concesserat, Dominum se appellare non est passus, imo non ausus, quia verus dominus totius generis humani inter homines natus erat. Eisingreinius l. c. iisdem fere verbis hanc fabulam descripsit: Domini appellationem ut homo declinavit Augustus. Nam cum eodem spectante ludos pronuntiatum esset a quodam Mimo: o dominum æquum & bonum universique, quasi de ipso dictum esset, exultantes approbavissent, statim quidem manu vultuque indecoras adulationes represit, & in sequenti die gravissimo prohibuit edicto, dominumque se post hac appellari, ne liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel joco passus est, manifesto prasagio majoris dominatus, qui tum eriretur in terris.*

§. 7. Provocat uterque ad testimonium *Orosii*, sed quid de eo habendum sit, quivis facile videt. Nam ut jam nihil dicam de *Orosio*, cujus auctoritatem superius jam rejecimus, non potuissent certe Christo tot & tanta evenire mala, si Christum agnovisset Augustus tanquam *verum Dominum totius generis humani*. Verum est, Augustum declinasse Domini notationem, ut inde-

D

coras

coras adulationes reprimeret, non ut Christi auctoritatem iret adstructum; *Quid vetat credere ðικονομικὸς factum apud Deum quod fecisse Augustum isορινὸς certum est.* quærit *Richardus Montacutius Exercit. VI. Analect. Ecclesiasticor p. 163.*

§. 8. Aliam fabulam addit *Baronius App. n. XXVI* de Maria, *illam*, nempe, *infantem in uteris habentem sublimem in aëre ab Augusto esse conspectam.* Falsitatem hujus commenti ipse *Baronius* agnoscit, quam, licet proluxa aliqua interpretatione excusare annitatur, eam tamen nemo sane mentis probabit. Porro circa tempus natiuitatis Christi vineas Engaddi, quæ balsamum ferebant, flores, fructum, & liquorem *simul protulisse*, simulachra Ægyptiorum cecidisse fabulantur *Abulensis, Bonaventura, Thomas, Petrus de Natalibus*, scriptores superstitiosi sequiorum seculorum, sequioris etiam famæ. Addit etiam *Eisengreinius* in opere suo superius citato, tres circa natalitia Christi in oriente visos esse soles, quos paulatim in unum corpus coiisse fabulatur, ad denotandum tres fore diuinitatis personas: Patrem, videlicet, Filium & Spiritum S. in unico Dei Filio ex virgine genito. Destitutus auctoritate antiquorum scriptorum, provocat ad scriptores posteriorum temporum, quibus quanta sit habenda fides, esto penes lectorem iudicium.

SECTIO.

SECTIONIS II

C A P. II.

DE

*Signis fabulosis in Nativitate
Christi aliisque nonnullis*

*circumstantiis perperam ex-
cogitatis.*

§. I.

PRimo heic enumerandæ sunt de incunabulis Christi concertationes. Lapideum fuisse illud præsepium, cui Christus impositus fuit, quodque communiter incunabulorum nomine venit, vetus est traditio. At *Baronius* ex homilia quadam *Chrysofomi* probatum ivit, fuisse luteum. *Cornelius a lapide Comm. in II. cap. Luc.* ligneum fuisse & Romæ asservari opinatur, cui pollicem premit *Spondanus* cum aliis. Alii, aureum faciunt, ut splendidius nugentur. Nos, quale fuerit, ignoramus. Particulam præsepium tenent *Tornacenses* in cathedrali ecclesia Mariæ; Alia particula conservatur in *Lætiensi* cœnobio: Conf. *Johannis Christ. Letschii diff. de incunabulis Christi.* In laudato thesauro *Hannoverano* ostenditur lapis quadratus ligno inclusus? cum inscriptione: *De petra supra quam natus est Christus.*

§. 2. Secundum hic obtineat locum illa traditio de bove & asino, præsepium scœno repleto, in quo Christus natus alligato. Probare illam intendit *Baronius* ex *Prophetia Hab. c. 3.* ex *Hieronymi epist. 27. ad Eusta-*

D 2

chium

chium, Gregorio Nazianzeno, Nysseno, Paulino, Cyrillo, Prudentio aliisque. Sed locus Hab. a Baronio allegatus non probat id quod erat probandum; Nam etsi juxta versionem LXX. interpretum verba hæc ita transferri possent: reddiderunt enim ἐν μέσῳ δύο ζώων ζῴων in medio duorum animalium cognosceris. Juxta fontem Hebraicum vero, cui potius inhæremus, annotante jam olim Hieronymo reddenda sunt: *in medio annorum vivifica illud.* Patres vero a Baronio adducti non proprie & fide historica, sed mystice de bove & asino loquuntur, ut per eos duos populos intelligant, uti hoc pluribus demonstrat *Casaubonus exerc. II. ad Ann. Eccl. Bar. Ann. l. n. IV.* Equidem cum illa nobis sententia placeat, qua præsepe cui Christus a matre impositus est, proprie accipitur, fieri sane potuit, ut bos aliave animalia eidem præsepi alligarentur. At hoc, tanquam rem, de qua certo constat, illicitum est propugnare.

§. 3. Pari etiam jure rejicimus fabulam, quam accidisse dicit Baronius circa nativitatem Christi: *Nimirum in eadem spelunca (in qua Christus natus perhibetur) ad ea, qua usus quotidianus exposcebat e petra fluxisse aquam, qua nunquam potuit exhauriri, sed mansisse diutius divine virtutis egregium monumentum, siquidem adhuc Bedæ temporibus viguisse dicitur cunctis perspicuum tantæ rei prodigium.* Cum enim hujus rei non verbo quidem meminerint Evangelistæ aliique scriptores, qui locorum illorum erant peritissimi, qui certe hanc rem notatu dignissimam non fuissent prætermisuri. Fabula ergo est & Bedæ testimonium non est tantæ auctoritatis, cum post septem demum secula a Christo nato vixerit, sed potius

tiusillum, qui hoc Bedæ persuasit, illius simplicitate fu-
 isse abusum putamus cum *Isaaco Casaubono l. c.* Hinc
 ipse *Franciscus Quaresmius*, qui locum nativitatis Christi
 suis oculis usurpavit, *Elucidat. Terra sancta Tom. II. lib.*
VI. c. X. peregr. II. p. m. 638. scribit: *Hæc nunquam*
mihî probari potuerunt, tum quia diligenter quæsi, an in me-
morato pariete esset hujuscemodi petra dans aquas vel fontis
signum, & horum nullum argumentum & memoriam inveni.
Quæsi ulterius a senibus Bethlehemiticis, qui rerum tradi-
tionumque harum partium optimam habent cognitionem, an
vel dictum fontem viderint, vel aliquando fuisse intellexerint
a suis prædecessoribus. Qui responderunt, se nunquam talia
vidisse vel audivisse: tum quia, si vera essent, quæ a Beda re-
veruntur, sequeretur veram esse illorum sententiam, qui di-
cunt, Christum Dominum exiisse cum secundinis, sanguinis
fluxu, sordibusque de sacratissimo purissima virginis utero.
At multo verior & communior est opposita sententia, sine se-
cundinis & sordibus, ut solem lucidissimum exiisse de thala-
mo uteri virginalis.

§. 4. Nunc ad fabulam de fasciis progredimur:
 Christum natum Mariam fasciis involvisse testatur sa-
 cer codex, circa quas scriptores miras excogitarunt fa-
 bulas. *Baronius Ann. eccl. Ann. l. n. VIII.* sequentem in
 modum de iis scribit: *Admirabili quadam divina dispen-*
satione factum esse, ut sacratissima illæ fasciæ, ad tantæ rei
memoriam futuris temporibus servarentur, in quarum hono-
rem nobilissima erigeretur basilica & anniversaria festa dies
a christiano populo eligeretur. Confirmat idem *Drexelius*
Tom. III. oper. Cornelius a lapide probare hoc figmentum
 intendit ex *S. Germ. Patriarcha Constant,* ex *Euthym.*
Oratione de fasciis domini apud Lippom. Tom. 6. ad
diem 31. Augusti. Sed quid de his talibus habendum sit

D 3

docet

docet Calaubonus Exerc. II. ad Ann. I. n. II X. cum inquit: De fasciis his neque primis ecclesia seculis neq³, permultis postea aut quisquam scivit aut requisivit, & paulo post addit: *Quantum autem Lippomano & illis duobus Gracis, quos ipse testes produxit, fidei tribuendum sit, doctorum esto iudicium.* Fascias has Iuvenalem episcopum Eudoxiæ Imperatrici Ierosolymorum donasse testis est Drexelius, quæ singula prolixè excussit V. C. Ernestus Salomo Cyprianus P. P. in dissert. de fasciis sub presidio venerabilis Presidis nostri habita. Porro alii disputant, utrum fasciæ hæ vel fuerint sordidæ vel laceræ, quorum argumenta, ab aliis discussa hic adscribere opus non est.

§. 5. Pergendum jam est ad fabulas queis circumcissionem contaminant: Christum quidem octavo die circumcisum sanguinem effudisse constat & nemo vocabit in dubium. De eo vero est quæstio, utrum præputium illud & sanguis effusus in terra adhuc sit residuum. Reliquiarum ostentatores se nec his destitui arbitrantur. Scribit de eo Hermannus Hauinck apud Koeberum in diff. de sanguine Christi: hier (in templo Lateranensi) ist auch zu sehen gewesen præputium Christi, in dessen Beschneidung mit einem steineren Messer den 8 Tag seiner Geburt abgeschnitten mit Blut Vergießung. Ist von Maria nebenst den Blut gesamlet / von Ihr erstlich / darnach auch von Johann den Evangelisten und lezlichen andern auffgehoben worden. Von Jerusalem hats ein Engel S. Carolo M. anno 800. gen Aquisgranum in Teutschland gebracht. In 876. Jahr aber / wie Pabst Innocentius. III. bezeuget / ist es gen Rom kommen / da es seiner Heiligkeit wegen bey den sanctis sanctorum ehrwürdiglich ist mit behalten biß 1525. da es gottlose Soldaten / welche die Stadt und diese
Capell

Capell plünderten / von denen weggenommen / ist aber mit gutem Glück den berühmten / edlen und andächtigen Herrn de Anguillara in die Hände gekommen / der es noch aufferhalb Rom in seiner Herrschafft wie einen himmlischen Schatz bewahret. Subjiciemus, *qua Rayssius l. c. p. 302. refert Innocentius III. libro de mysteriis missæ dicit, præputium ab angelo Carolo M. delatum, qui ipsum posuit Aquisgrani, quod postea Romam translatum est in basilicam Lateranensem per Carolum Calvum imperatorem. Mansit autem ibi usque ad obsidionem urbis, ejusque expugnationem factam jussu Caroli V. circa annum M. D. XXVII. quo tempore miles quidam, arculam quandam in qua præputium erat, rapuit e prædicto Lateranensi templo, atque calcatam ad pagum millibus passuum ab urbe distantem transtulit, ubi & in hodiernum diem asservatur. Quod si ita sit, crediderim falsum esse quod Costerus libro meditationum in vitam B. Mariæ meditatione XIV. refert, hæreticorum rabie anno M. D. LXVI. Antwerpia sublatum fuisse. Hæc Raysius.*

§. 6. Integrum ergo Christi præputium & sanguis in ecclesia Lateranensi asservatum fuit, aliæ tamen ecclesiæ particulam quandam de hoc sibi vendicant. *Chisletius in crisi historica de linteis sepulchralibus Christi p. 34. non erubescit coram enarre aliquid de præputio Domini, de spinea corona &c. quæ aureis & argenteis hirothecis conclusa, singula haberi in sacrariis Metropolitanis Vefontinensibus. Balthasar Bebelius in Antiquit. Evangel. & Jud. observavit, in Italia id sibi vendicare Lateranum & Caliata, in Galliis Anicium, Vefontia Carolium: in Belgio Antwerpia, in Germania Hildes-*

Hildesheimium, quid; quod plures præter has regiones id sibi vendicare testis sit Kœberus l. c. Quæ certæ inter reliquiarum institores discrepantia & disceptatio hujus rei falsitatem satis arguit, ut adeo refutatione ulteriori non indigeat.

§. 7. Pergimus igitur ad alia, nimirum ad fabulas de Magis: Magos stellam in oriente vidisse, testatur Matthæus c. 2. qualis vero illa fuerit fabulæ sunt plurimæ. Quidam enim teste *Spanhemio dub. Evang. Tom. II. p. 310.* putant, stellam istam fuisse Spiritum S. qui hic stellæ, in baptisino Christi columbæ, in Pentecostes festo linguarum dispersitarum speciem induerit. Sed recte respondet idem auctor l. c. duo posteriora quidem in Scriptura S. reperiri, primum vero & gratis confictum & parum necessarium, ibi ubi nullum Spiritus S. ἀποτέλεσμα. Alii per stellam hanc angelum intelligunt, quam sententiam probant ex variis speciebus ab angelis assumptis, & in iis, Eliæ II. Reg. II. 1. & Elisæo II. Reg. VI 17. apparentibus, Deum angelos suos facere ventos, ministros suos ignem flammantem. Sed adhæc Spanhemius l. c. erudite admodum respondet: *opinionem hanc esse precariam & ἀγραφον & potius ἀντίγραφον cum repugnet tum nomen tum attributa illi stellæ adscripta, cum apparitiones angelorum in scriptura non dissimulentur vel occultentur, ubi illæ exhibite.*

§. 7. Auctor operis imperfecti *Hom. II. in Matth.* de hac stella ejusque ortu sequentem in modum fabulatur: *Audiui aliquos referentes de quadam scriptura etsi non certa tamen non destruyente fidem, sed potius delectante, quoniam erat gens quadam sita in ipso principio orientis juxta oceanum, apud quos ferebatur scriptura quadam inscripta nomine*
Seth

Seth de apparitura hac stella & muneribus ei huiusmodi offerendis, qua per generationes studiosorum hominum patribus referentibus filiis suis habebatur deducta. Itaque elegerunt se ipsos duodecim quosdam ex ipsis studiosiores & amicitiores mysteriorum coelestium, & posuerunt se ipsos ad expectationem illius stella, & si quis moriebatur ex iis, filius ejus aut aliquis propinquorum, qui ejusdem voluntatis inveniebatur in locum constituebatur defuncti. Dicebantur autem & Magi lingua eorum, quia in silentio & voce tacita Deum glorificabant. Hi per singulos annos post messem trituratorem ascendebant in montem aliquem positum ibi, qui vocabatur lingua eorum mons victorialis, habens in se quandam speluncam, in saxo fontibus & electis arboribus amoenissimus, in quem ascendentes & laventes se offerebant & laudabant Deum in silentio tribus diebus. Et sic faciebant per singulas generationes expectantes semper, ne forte in generatione sua stella illa beatitudinis oriretur, donec apparuit eis descendens super montem illum victorialem, habens in se formam quasi pueri parvuli & super se similitudinem crucis, & docuit eos, & precepit eis, ut proficiscerentur in Judaeam. Proficiscentibus autem iis per biennium precedebat stella, & neque esca neque potus defecit in peris eorum. Sed haec omnia fabulosa atque ab hominibus otiosis excogitata esse quivis facile videt, cum scriptura & reliquis scriptoribus tacentibus haec frustra fingant. Praeterea etiam non est credibile, auctorem modo adductum haec pro veris venditasse, sed ad excitandam potius auditorum industriam excogitasse, ut demonstraret iis, quantum desiderium Patres in V. T. habuerint, Christum in carne videndi.

§. 8. Idem etiam iudicium ferendum est de fabula illa, quam Gregorius Turonensis & ex illo Haymo refert, nimirum stellam illam cecidisse in quendam pu-

E

teum

teum Bethlehemi, ubi in fundo illius adhuc videri possit, sed ab iis tantum, qui virgines sunt. Provocat Haymo ad auctoritatem Gregorii Turonensis, quæ quanta sit docet *C. Cave Hist. Lit. part. I. p. 298.* quando inquit: *Vir erat, pro seculo, quo vixit, non ineruditus, sed in quo iudicium & acumen non immerito desideres. Simpliciter ejus notavit olim Hilduinus Abbas: Parcendum est, inquit, simplicitati viri religiosi, qui multa aliter, quam se veritas habebat, astumans, non calliditatis astu, sed benignitatis ac simplicitatis voto literis commendavit.* Jam cum illius scriptoris, qui fabulam prius excogitavit auctoritas, nulla sit, quid de tota historia sentiendum sit, nemo non intelligit.

§. 9. Porro Magos reges fuisse Romana contendit ecclesia, licet quidam illorum commentum hoc non pro vero agnoscant. *Alphonsus Salmero Tom. I. tract. 38.* fabulam hanc certis inniti fundamentis iisque plurimis contendit. Primum quidem desumit a prædicationibus V. T. speciatim *Es. LX. 3. & Ps. LXXII. 1:* secundum a traditione ecclesiæ, quam loca citata ex prophetis ad hos Magos accommodare & sua auctoritate de iis intelligenda docere scribit: tertium desumit a picturis ecclesiasticis, auctoritate & vetustate commendatis. Verum hæc argumenta plane sunt frivola neque ad stabiliendum commentum faciunt. Locus enim *Esaïæ & Psalmistæ* non agit tantum de regibus, sed indefinite de regibus & gentibus, habeturque in iis promissio de vocandis utrisque ad communionem ecclesiæ, non vero ad cunas Christi. Traditio ecclesiæ hic est nulla præterquam Romanæ & privatorum quorundam somnia. Tertium argumentum vero a picturis desumptum

ptum nihil probat, sed anile potius est & ludicrum, cum
juxta Poetam:

pietoribus atque poetis

Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

Vid. Spanhem. dub. Evang. part. II. ubi pluribus hoc deducit.
Addo & hoc, quod nullo plane modo credibile sit, ma-
gos hos reges fuisse, cum Evangelista nihil de eo refe-
rat, quod tamen ad cunabula Christi illustranda maxi-
me conducibile fuisset. Præterea vocati sunt per stel-
lam, quæ observatio non regum sed astrologorum est.
Repugnat etiam descriptio eorum simplicissima sine o-
mni apparatu, quod tamen alias scriptura facit. Quid?
quod Herodes pro imperio cum iis agit, quod certe fa-
cere non debuisset, si magi hi reges fuissent, & quæ
sunt plurima alia, quæ & hoc de magis regibus commen-
tum fabulam esse evincunt.

§. 10. Quando ad Magorum nomina progre-
dior, varia illorum invenio, quæ illis illaudabilis homi-
num curiositas affinxit. *Beda enim in exceptionibus Pa-
trum* nomina illorum fuisse dicit Balthasar, Caspar, Mel-
chior. Non solum autem nomina illorum, sed & æta-
tem, prosopographiam, & vestes illorum describit auctor
citatus, dum Melchiorem fuisse refert senem, & canum,
barba prolixa & capillis & hunc obtulisse aurum Chri-
sto ut Regi. Casparem juvenem imberbem rubicun-
dum & hunc obtulisse Christo thus ut Deo. Balthasa-
rem fuscum integre barbatum, myrrham filium homi-
nis moriturum indicantem exhibuisse. Hæc ille. Sed
unde hæc habet Beda, cum in prima antiquitate ne
verbum imo ne vestigium ullum hujus rei inveniatur.
Unde post septem demum secula hæc traditio ad Bedam
pervenit. Certum est, ut supra jam monitum, imposto-

rem aliquem & hic viri hujus alioquin venerabilis simplicitate fuisse abusum, & hæc ipsi persuasisse.

§. II. Alii alia excogitarunt nomina, Zacharias nimirum *Chryso-politanus Episcopus sive juxta Albericum Monachum trium fontium Chron. ad ann. 1157. Monachus Promonstratensis apud S. Martinum Laudunensem, qui seculo XII. vixit, & Petrus Comestor seu Manducator dictus Zacharia* *σὺγχρονος* hebræa illorum nomina imperite faciunt, Appellius, Amerius Damascus, Græca, *Μαγαλάδ, Παγγαργαδ, Σαρακιν.* Alii substituunt Ator, Sater, Peratoras. Sed hæc omnia nituntur traditione parum certa, parum antiqua, & prorsus intolerabili, & excogitata sunt ab hominibus non solum otiosis & imperitis, sed etiam impiis, & artium curiosarum sectatoribus. Ipse etiam Salmero fateri cogitur, esse hæc ex fabrica nebulonis alicujus & meras nugas, quibus impositum fuerit, ut loquitur, bono illi Patri Zachariæ Chryso-politano. Vid. *Casaubonus Exerc. II. n. 10. & Spanh. l. c.* Pariter nec subscribere possumus *Auctori imperfecti operis in Matth. Hom. II.* qui tres Magos hos a Thoma Apostolo postea baptizatos esse asserit, qua traditione, quo argumento, ipse viderit. Vestes Magorum quod attinet, Beda de illis *l. c.* refert, quod Melchior habuerit tunicam hyacinthinam, sagum milenum quod vocat, & calceamenta hyacinthina & albo opere mista. Caspari milenicam tunicam, sagum rubeum, & calceamenta hyacinthina, Balthafari tunicam rubeam & calceamenta milenica. Sed fabulæ sunt & nugæ, quas unicuique adeo ad oculos patere arbitramur, ut refutatione supersedere possimus.

§. 12. Ad reliquias Regum quod spectat multivarie variis locis ostentantur: Præcipue Colonenses sibi

sibi placent, qui tria capita asservant, e quibus liquer, quem illi oleum ægrotis profuturum vocant, consuevit destillare. Sed manifesta causa physica est, cur aqua diffluant cadavera, quippe tenebricosæ ac madidæ humo superstructæ cryptæ inclusa: ceu notat, qui vidit, *Johannes Herbinus L. de cryptis Kijoviensibus c. III. De Myrrha & thure Magorum particulas asservant illi, qui nihil non asservant cœnobii Lætiensis monachi vid. Rayss: p. 276.*

§. 13. Porro nominibus Magorum fictitiis admiranda signa esse peracta & ad magicas artes adhibita annotavit *Caasubonus Excerc. II. e codice quodam MSto Græco palatino. Versus nomina illorum includentes sunt sequentes:*

Caspar fert Myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum

Hæc tria qui secum portabit nomina Regum

Solvitur e morbo Christi pietate caduco.

His tantam vim attribuunt, ut super aurem epileptici ter recitati ægrotum curari, a serpenre, vel scorpio vel ab aliquo alio reptili venenoso ictos sanitati restitui blasphementur. Porro nomina hæc chartæ vel membranæ puræ inscripta colloque appensa pro amuletis habent, & quæ sunt alia plurima, quibus homines temerarii & nimium creduli decipiuntur.

CAP. III.

DE

Fabulis circa Infantiam Christi.

E 3

§. 1. Jo-

Josephum ab angelo per somnium commonefactum in Ægyptum cum Christo cessisse, testatur Matthæus, circa illam vero Christi fugam varia iterum excogitata sunt commenta & miracula. Refert *Baronius ex Sozomeno Hist. Eccl. lib. V. c. 27.* arborem, quæ Persis dicitur, Hermopoli quod est oppidum Thebaidis, circa adventum Christi curvatam esse, atque ad solum usque se inflexisse & Christum adorasse. Gloriantur vero de hac arbore, quod ejus fructus aut folia aut particula aliqua corticis ægrotis admota morbos a compluribus depulerit. Porro adducit ex Euseb. lib. VI. c. 20. de incarnatione verbi, Origine Hom. III. in Matthæum quod circa adventum Christi simulachra in Ægypto fuerint collapsa. Deinde ex *Burchardo in descriptione Terra sanctæ Part. II. c. 4.* addit; inter Heliopolin & Babyloniam medio ferme loco esse balsami hortum, qui rigetur ex parvulo fonte sed ubere, in quo fama est, B. Virginem Jesum parvulum pluries lavisse, pannulosque ejus mundasse cum esset in Ægypto propter metum Herodis. Ibidem quoque dicitur esse lapis, super quem eisdem exsiccaverit: Sed hæc omnia superius adducta sunt ἀγραφα & precario prorsus afficta, sunt etiam ἀντίγραφα, cum primum Christi miraculum acciderit in Cana Galileæ, prout constat ex Joh. II. nec credibile est, Evangelistas hæc fuisse omisso, qui etiam alias minima scrutati sunt.

§. II. Hinc sponte sua etiam corruunt fictitia illa commenta, quæ in apocrypho illo de infantia Christi evangelio reperiuntur: nimirum de latronibus adventu Christi tanquam potentissimi alicujus exercitus percussis, de curatione sponsæ in nuptiis per Satanam mutæ

mutæ redditæ, de alius cujusdam mulierculæ a diabolo
 obsessæ restitutione, item quod narrat de duobus la-
 tronibus, altero Tito, altero vero Dumacho, illo hunc sol-
 licitante & 40 aureos pollicente, ut parceret Christo,
 Mariæ, Josepho in deserto peregrinantibus, hosque la-
 trones postea cum Christo crucifixos esse. *IDEM* etiam
PSEUDEV ANGELIUM refert de paupercula quadam muliere,
 cui erat filius cognominatus Judas, qui a Satana male divexatus,
 adeo ut irruente in illum spiritu malo dentibus suis caninis
 vel in propriam vel adstantium carnem magno impetu involaret.
 Hanc, cum de miraculis Christi certior reddita esset, pue-
 rulum suum deferens ad Christum dextræ ejus appo-
 sisse, qui etiam non ita multo post adveniente par-
 oxismo apertis pro more suo faucibus, Christo inhiavit,
 eumque tangere prohibitus latera ejus percutiebat, ita
 ut Jesus in largas lachrymas effunderetur. Quo facto
 Demon iste malignus domicilium suum statim deserere
 & instar canis rabie correpti a puero aufugere coa-
 ctus fuit. Puerulus vero correptus is ipse Judas existi-
 tisse dicitur, qui postea magistrum suum paucos num-
 mulos lucrandi ergo nefario ausu prodidit. Hæc & si-
 milia commenta quibus evangelium hoc apocryphum
 scatet, fabulis merito accensemus, cum de veritate to-
 tius tractatus, qui D. Thomæ perperam adscribitur, ex
 æquo dubitent omnes. Idem evangelium etiam refert,
 quasi Dominus cum puer esset & disceret literas, cum-
 que dixisset magister ejus quemadmodum in consuetu-
 dine est, dic A. respondit A. rursus cum magister jus-
 sisset eum dicere B. respondisse dominum, tu mihi prior
 dic quid est A, tunc ego dicam tibi quid est B. sed recte
 Baronius dicit, hæc non probare sed potius repudiare
 ecclesiam ac rejicere, cum mera sint deliria.

§. 3. De

§. 3. De reliquiis Christi sanguine præcipue nullus est fabularum finis. Lacrymam unam asservant monachi Benedictini in cœnobio Laurentii ad muros urbis Leodicensis. Si mireris hanc rem, validissimam rationem affert *Rayssus l. c. p. 273.* qua omnem dubitandi causam evellit: *Haud mirum tibi, mi lector, videatur, hic aut alibi gentium inter mortales Christi lacrymam asservari, cum etiam in Vindocimensi cœnobio ostendi asserat Joannes Baptista Signius in reliquiario c. 1. Et in Artesia quodam in vico inter Bethuniam & Lillerium Vagne dicto, & modo a peregrinis in tanti pignoris honorem sancta lacryma nuncupato, una etiam ostendatur.* Ego vero dixerim, haud mirum Tibi, mi Rayssi, videatur, hic & alibi gentium inter mortales te inter nugatores annumerari, qui tam lepide probasti tuam lacrymam.

C A P. IV.

DE

Fabulis circa ministerium Christi.

§. I.

Primum Christi miraculum in nuptiis Canæ Galilææ accidisse testatur sacæ codex: Quis vero sponsus istarum nuptiarum, quas Jesus honoratissima sua præsentia ornavit, fuerit, variæ & fabulosæ nimis sunt sententiæ. Nonnulli enim fabulantur has nuptias fuisse Johannis Evangelistæ, sponsam vero vel Anachitam, vel Mariam Magdalenam. Addunt porro & speciatim quidem *Mesfretus.*

fretus in sermonibus de sanctis serm. XX. Christum ad nuptias invitatum, id ipsum advenisse, ut conjugium inchoatum, & nisi ipse comparuisset alioqui consummandum dirimeret, & perpetuæ virginitatis decus in Johanne Evangelista tueretur. *Baronius* ne plane αὐμβολῶν videatur, hæc etiam ad annum Christi XXXI. n. 30. confert, proditum esse a nonnullis, Johannem, viso tanto miraculo de aqua in vinum per Christum mutata, conjugem dimisisse ac Christum secutum fuisse. Sed cui hæc unquam probari poterunt: Fabulam quidem de sponso quod concernit, nititur illa auctoritate parum certa parum etiam antiqua. Præterea quomodo ille ad dirumpendas nuptias venisset, qui matrimonii ipse auctor est:

§. 2. *Baronius* a sententia superiorum abstrahens, alium producit nuptiarum harum sponsum, nimirum assentiens *Nicephoro Hist. Eccl. lib. IIX. c. 30.* affirmat nuptias has fuisse *Simonis Cananæi*, qui unus ex duodenario Apostolorum numero fuit zelotesque ditus est. De narratiuncula hac quid habendum sit clarius elucescet, dum fundamentum cui innititur, paucis perlustraverimus. Probat nimirum *Nicephorus* sententiam suam ex eo, quod *Simeon* hic vocetur *Cananæus*. Sed quænam quæso! hæc est consequentia, cur non pari jure *Nathanael* sponsus dicitur, erat enim hic ex cana oriundus: deinde auctoritatem *Nicephori* non magni faciendam esse, ex eo facile patet, cum in re manifestissima sæpe hallucinatus sit: dicit enim in subsequentibus verbis, *in nuptiis Cana ex occultis incertisque botris finum fuisse factum.* Sed quis hoc unquam diceret, cum scripturæ S. tam aperte repugnet, & quale hoc esset miraculum, si ex occultis botris vinum fuisset factum.

F

§. 3. Sed

§. 3. Sed mittamus hæc & progrediamur ad alia, & quidem ad fabulam illam de imagine, quam Christus ad Abgarum misisse dicitur. Scribit de ea *Baronius ad annum Christi XXXI. n. 6. Quin & ab ipso Christo sui imaginem non arte hominis elaboratam, sed ab ipsomet summo rerum architecto & opifice domino nostro ad Abgarum missam post datam epistolam a compluribus gravissimis autoribus scriptum reperimus. Evagrius scholasticus testatur -- qua vero ab ipso scripto recitata sunt, in concilio Nicæno II. & a patribus ut egregie testata fideque digna comprobata habentur. Addunt & alios testes nimirum Johannem Damascenum de orthodoxa fide lib. IV. c. 7. Constantinum Porphyrogenitum in oratione quæ exstat apud Metaphrastem d. 10. Augusti, it. acta sanctorum Samonis & Gurixæ, quæ reperiuntur apud citatum auctorem d. 15. Novembris: Græcos quoque de eadem celebrare anniversariam solennitatem d. XVII. Cal. Septembr. probat Baronius ex eorum Menologio: Ex latinis vero adducit Hadrianum Papam, scribentem ad Carolum M. eandem de imagine ad Abgarum missa historiam cognitam & receptam esse a Stephano Papa in concilio Romano.*

§. 4. Porro ut hujus rei veritatem declarare & demonstrare posset Baronius, ex Evagrio Hist. lib. IV. c. 26. crebra & insignia miracula ex eadem imagine prodita refert, nimirum Philippicum ducem sub imperatore Mauritio præsidio hujus sine manu factæ imaginis, quam secum in aciem duxisset, ingentes Persarum copias prostravisse, ac penitus profligasse.

§. 5. Sed quale judicium eruditi ferunt, de Epistola Christi ad Abgarum & hujus ad Christum, tale etiam ferendum est de hac ipsa imagine. Scilicet ut loquitur

quitur D. Ittigius *dissert. I. de Pseudepigraphis* §. 14. illa epistola eo imprimis nomine suspecta videntur, quod nulli veterum scriptorum ante Eusebium memorata fuerint, & post Eusebium inter scriptores IV. & V. sec. parva earum mentio occurrat. Præterea, ut ut Eusebius epistolas has pro genuinis agnoscat, de imagine vero hac nil quicquam meminit. Non puto vero latuisse illam posse Eusebium, qui tamen magna diligentia est usus, ut rei illius veritatem agnosceret. Archiva enim Edessenorum vel ipse consulit vel per alios consulenda curavit. Quod si vero eo tempore cum Eusebius historiam suam scriberet Edessenis illa imago nondum innotuit, unde post 330 annos ad eos illa pervenit. Evagrium vero quod concernit, est ille scriptor a fabulosis narrationibus non nimis alienus, prout audit Casaubono, & Cave H. L. p. 305. ita de eo scribit, *In pluribus factis recensendis Evagrium nimis fuisse credulum & in fabulas proniorem, ex iis quæ data quavis occasione, cruce, reliquiis, fictisque miraculis (quæ majori pretio habere jam cœperant) refert, cuius præjudiciis non occæcato liquido patebit.* Reliqui vero a Baronio in patrociniū sententiæ suæ adducti auctores sunt sequiorum seculorum, & quam hi fuerint ad fabulas & miracula commentitia suscipienda proclives, nemini qui historiam literariam minutius callet, poterit esse ignotum. Notandum tamen est, Guilielmum Cave epistolas hæc mutuas recipere, hæc sunt ejus verba: *Hist. lit. part. I. p. 2. Ego non adeo temere abjiciendum esse censeo tam venerandæ vetustatis monumentum.* Nec poterit juvare Baronium, quod dicat, Evagrii de hac imagine scripta in concilio Nicæno II. a patribus ut egregie testata fideque digna comprobata haberi, nam etsi illud imaginem hanc pro vera agnoscat, nihil tamen hoc ad rem, nullum enim

ibi argumentum affertur, quo rei veritas probetur. Præ-
terea etiam Damascenus, quem Baronius tanquam testem
producit, mentionem quidem hujus imaginis l. c. facit,
sed tanquam rei incertæ & cujus fides vacillet.

§. 6. Sed videnda est nova narratiuncula. Re-
fert Matthæus, Christum arborem fici in via positam, quod
fructus non invenisset in ea, arefecisse. Dicit Baronius
se non posse prætermittere, hic adjicere, quod majorum
traditione perlatum; ficum nimirum fuisse illam arbo-
rem, ex qua primi parentes post peccatum legentes fo-
lia pudenda texerint. Probat assertum suum ex Isidoro
Pelusiota ad Theopompum Tribunum scribente: *Ex-
aruit igitur arbor, ut hominibus terrorem injiciat, quia in hac
quoque re arcanus quidam sermo adnexus est, a senibus sapien-
tibus ad nos grassatus, nempe hanc transgressionis arbo-
rem esse, cujus etiam foliis ad corpus tegendum, hi, qui
mandatum violarunt, usi sunt. Sed quis non videt tradi-
tionem hanc futilem & plane absurdam esse, cum sacræ
nos doceant literæ, lapsum primorum parentum acci-
disse in paradiso, sed si arbor illa, cujus folia ad tegan-
dum pudenda adhiberunt protoplasti fuit ficus illa, quæ
exaruit, unde illa pervenit, in Judæam, cum tamen aditus
ad portum illum per angelum esset interclusus.*

C A P. V.

DE

Fabulis circa mortem Christi.

§. I.

Progredior ad tunicam Christi incofutilem, de qua
variæ fuerunt eruditorum disceptationes. A beata
Maria

Maria illam esse confectam tradit *Baronius ad annum Christi 34. n. 117.* Contextam illam esse a sanctissima virgine par est credere, nam in oriente hominum vestes a foeminis confici solitas, liber qui dicitur *Esdra* testatur. *Chifletius in Crisi historica de linteis sepulchralibus Christi p. 19.* eundem in modum loquitur: *Inconsultem tunicam filii opera mirabili texuisse creditur.* Nos licet pertinaciter hujus rei veritatem negare, nolimus, cum *B. tamen Dorschæo in tractatu de tunica Christi inconsulti §. 126.* dicimus, quod nemo nisi duodecimo post Christum nato seculo, *Euthymius* nempe hoc tradiderit.

§. 2. Aliam & nimis audacem de tunica hac conjecturam *Ludolphi lib. II. de vita Christi c. 63.* recenset *Maresius part. II. Syllog. disput. p. 266.* scilicet quod *Christus* eam a pueritia gestaverit, ita ut ipso naturaliter crescente, ea quoque per miraculum semper aucta fuerit. Extant quoque ea de re versus *Joh. Bupista Mantuani* apud *Chifletium l. c.*

Cum primum dulces infans proferre loquelas

Cœpit, & adversis vestigia fingere plantis.

Mater ei tunicas habiles ordita, novumque

Vestis opus, niveo puerum velavit amictu.

Suscipiensque polos, inquit, date numina vesti

Incrementa mea, pueri cum corpore semper

Crescat & ad sanctos ultro se accomodet artus:

Non gladium tineamve ferat, non trita senecta

Cedat, & hæc nostri durent monumenta laboris.

§. 3. Ortum fabula hæc notantibus *Dorschæo* & *Maresio l. c.* debet illi miraculo, quod accidisse colligitur *Israelitis* in deserto ex *Deut. XXIX. v. 5.* cum tamen hujus & illius plane alia & diversa sit ratio: In historia enim vestimentorum in deserto non detritorum

sed per 40. annos conservatorum, specialis divinæ potentia dispensatio aperte elucescit, non dicitur vero vestimenta cum ætate & corporibus ex infantia ad virilem ætatem progressis, sua quoque acquisivisse incrementa, recte inquit Dorschæus l. c. & paulo post subjicit: Mirum esset, si talem providentiæ *οικονομίας* exhibuisset tunica Christi, eam non sæpius ut semel saltem ab ipso fuisse allegatam, præsertim cum contra vanam de vestibus sollicitudinem Salvator peroravit Mâtth. 6. 25.

§. 4. Porrò fabulatur Baronius, circa annum Christi 330. Agritium Treviris in templo cathedrali recens exstructo tunicam Christi inconsutilem in altare chori posterioris cum clavo & notabili crucis Domini-
cæ parte recondidisse. Sed ut jam nihil dicamus de templo illo cathedrali, cujus rei veritatem Dorschæus l. c. pluribus examinavit, uude quæso post 3. demum secula illam accepit Agricius, an forte ab Helena? sed quare apud scriptores tum coætaneos tum subsequentes tam profundum hac de re est silentium, cum tamen sepulchri Domini eruti crucisque effossæ tam sæpe meminerint? An est etiam credibile, militem qui eam sorte acceperat, in usus suos non adhibuisse? Et quod falsitatem hujus rei maxime arguit hoc est, quod ipsi reliquiarum patroni non inter se de ea conveniant. Tre-
virenses enim jactitant se tunicam Christi inconsutilem habere, quod non tam ex supra dictis quam ex diplomate Caroli Caspari Ecclesiæ Trevirensis Archiepiscopi anno M. DC. LV. promulgato constat. Alii ut *Rupertus Montenensis Abbas, Sigeberti Gemblacensis continuator* & *Alphonsus Salmeron* dicunt in monasterio Argentolio non longe a Lutetia Parisiorum dissito illam reperiri
Onu.

Onuphrius Paminius lib. de VII. urbis ecclesiis dicit eam contineri Romæ in ecclesia Lateranensi. *Gregorius Turonensis junior* dicit eam ex civitate Zaphad a Gregorio Antiocheno & Thoma Hierosolymorum, Johanne Constantinopolitano, Episcopis post triduanum factum jejunium Hierosolymam cum devotione sanctissima esse perductum.

§. 5. *Lombardus in historia sua* narrat, tunicam hanc habuisse Pilatum, qui etiam addit, quod, etsi Tiberius Cæsar maximo furore in Pilatum ardens, hunc ad se adduci jufferit, Pilatus tamen, tunica Domini inconsutili indutus, in conspectum ejus productus omnem iram mitigaverit confestim. Sed addit idem auctor, deprehensum denique fuisse, & divino quidem nutu vel forte alicujus christiani suasu, tunica Christi se Pilatum muniisse tanquam amuleto. Hac igitur ipsi detracta in Cæsaris indignationem implacabilem plane incurrisse, ideoque in carcerem conjectum suo sibi cultro vitam adimisse. Proh dedecus! proh nugas! num quis cogitando satis assequi potest, hominum insaniam eo usque prolabi potuisse, ut tunicæ huic, quæ sanctissimum corpus texit, magicam aliquam vim adscriberent.

§. 6. Antequam capiti huic coronidem imponatur notandum est, quod sanguinis guttulas tempora ministerii a Christo effusas velint Pontificii. Mire heic altercantur boni illi viri, & tam inanes nugas comminiscuntur, ut credam ea recensuisse tantundem esse ac refutasse. Audiamus ergo mysteria. *Henricus Engelgrave Panth. Coelest. P. I. p. 222. ait: Vis nosse compendio, quot fuere amoris ejus infiniti perflua, ut ita dicam testimonia? a primo illius conceptionis instanti ad extremum spiritum amor meus, Jesus meus, fudit, sexaginta duo millia & ducentas lacrymas, sanguinis*

Sanguinis vero guttas crassiores ad nonaginta septem millia trecentas & quinque. Hæc Engelgrave. Norunt quoque quot guttas Christus in sudore sanguineo emisit, videlicet CLVIII. vid. Drexelius de morte Christi Part. II. c. II.

§. 7. Tantum sanguinis cum excogitent, ut sudaria multiplicentur, necesse est. Hinc præter sudarium, cujus meminit scriptura, commenti sunt unum Vesontinense, de quo Chiffletius in descriptione Vesontinensis p. 108. p. II. Apud omnes in confesso est, ex ea sidone (Vesontina) divinum nescio quem splendorem emicare, qui sanctum quandam horrorem spectantibus afferat: & cum pluries tentarit, eam pictor imitari; sic tamen perstrictos ejus oculos, ut sacra stigmata, & sanguinea nota, nunc palleferent, nunc ad vividum recentis sanguinis colorem eccederent: adeo ut bonus Apelles manum et tabula non semel sit coactus abducere: & qui alia omnia ad vivum exprimeret, in hoc uno nihil se posse, professus sit. Commenti sunt porro sudarium Oliveti, quod in monte sancto Bavarix asservari contendunt Quaresmius, Gretserus, alii. Idem hoc sudarium Romæ asservari opinio est Johannis, Mabillonii Itin. Ital. p. 88. Porro commenti sunt sudarium Veronicæ, de quo extant infinitæ concertationes. Vid. V. C. Ernestus Salamonis Cyprianus in diss. de sudariis p. 10. seqq. quam sub Venerando D. Praside nostro habuit. Etiam in thes. Hañ. p. 26. aliquid habetur de sudario Domini.

§. 8. De corona Christi multa quoque possent afferri, nisi brevitati studere vellem. Primo altercantur eruditi, an herbea fuerit, an spinea, & an ex junco marino, an ex rubro fuerit nexa. Hæc vero impune excercere possunt philologorum mentes, cum eruditione & rerum naturalium notitia misceantur. At illud intolerabile est, quod de spinis his, ferme nulla non civitas gloriatur apud Pontificios. Sacerdotes Romani, ut sunt harum rerum promicondi, multas spinas ostentant. Parisien-
ses

ses in sancto sacello magnam coronæ partem servavit. Lovanienses iisdem superbiunt, nec pauperiores sunt cæteri passim monachi, ita, ut construendis aliquod templis ligna illa forte suffectura sint, si colligantur. Conf. *Joannes Ernestus Mullerus dissert. de spinis coronæ Christi & Simeon Fridericus Frenzelius diff. de coronæ Christi. Vide etiam thes. Hann. p. 3.*

§. 9. De cruce Domini infinitas fabulas commenti sunt. Primo nugantur, eam ab Helena, Constantini M. matre inventam esse. *Vid. Socrates H. E. L. I. c. XVII. Sozom. H. E. lib. II. c. XXXIV. & Haymo Hist. eccl. lib. IX. c. IV.* Deinde crucis particulas tot ostentant, ut collectæ non crucem sed sylvam referant, ceu notat Salmasius. Egregiam partem S. crucis custodiunt in collegiata ecclesia Walciderensi B. Mariæ vid. Rayssius l. c. p. 330. Cæteræ particulae ubivis occurrunt. Nec negligentiores sunt in somnians fabulis de illis crucibus, quæ ad primævæ imitationem fabricantur. Magnum nugarum specimen exhibet Nic-Trigault. in vit. Casp. Barzæi p. 385.

§. 10. De vestigiis Domini in cælum ascendentis magna quoque est disputatio. Tradunt Servatorem in illo suo triumpho, quando spectantibus discipulis ascendit in cælum, loco unde sublatus est, impressa reliquisse vestigia pedum, quæ nullo possint casu aboleri. *Baronius in hanc rem An. 34. n. 232. 233. 234. scribit: egregium plane monumentum suæ ad cælos ascensionis Dominus redemptor noster non modo suis Apostolis sed posteris quoque spectandum reliquit, nimirum suorum sacrorum pedum terra impressa vestigia. De his olim Zacharias Propheta intellexisse videtur, cum propheticè hæc locutus est: stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Hierusalem ad orientem.* Et quæ sunt plura, quæ Baronius ad stabilendum commentum suum adducit, cujus testimoniis

G

multa

multa recentiorum addi possent, cum hac relatione fere omnia itineraria, quæ de terra sancta ante reformationis tempora edita sunt, exornata reperias. At expleret fabulam erudite *Samuel Andrea, Theologus reformatus, peculiari de vestigiis pedum Christi in monte Oliveti dissertatione.*

SECTIONIS IV. & ultimæ
DE
FABVLIS CIRCA
APOSTOLOS

C A P. I.

DE

Symboli Apostolici collectoribus.

§. I.

Apostolos ante dispersionem suam symbolum aliquod condidisse, quod tanquam tessera esset, sive symbolum sive collatio articulorum fidei, testantur ad unum fere omnes Pontificii. Annalium parens *Baronius ad annum Christi 44. n. XV. ita scribit de eo: Tunc etiam fidei catholicæ consulturi, quid singuli essent prædicaturi gentilibus, ne ulla ex parte aliqua vel apparens inter eos in annunciatione evangelii diversitas esset, quosdam fidei canones, quibus universam christianam fidem perstringentes firmarent ac stabilirent, constituerunt, quos proprio nomine Dei ecclesia nominare consuevit symbolum Apostolorum, vel quod singuli ex iis ad id perficiendum attulerunt suum symbolum, quæ ratione ante necem Jacobi dicendum est, illud esse confectum.*

fectum, vel quoniam qui christiani essent, eo symbolo velut tessera militari data dignosci possent. *Natalis Alexander Hist. eccl. sec. I. diff. XI.* eundem fere in modum scribit: Apostoli hujus symboli quod Apostolicum vocatur, sunt auctores, illudq; conscripserunt, ut sit tanquam *σύμβολον* sive tessera quaedam communis doctrinae *ὁμοθετίας* in ea deinceps locorum divisione, quæ a Pseudo-Apostolis distingueret, aut tanquam collatio articulorum fidei per singulos nempe Apostolos facta, unde sunt articuli XII. Hæc Natalis.

§. 2. Collationem hanc, quomodo acciderit, narrat Baronius l. c. ex Augustini de tempore Serm. 115. cujus hæc verba esse vulgo creditur: *Quod græce symbolum, latine collatio nominatur. Collatio ideo, quia collata in unum totius catholica legis fides symboli colligitur brevitate, cujus textum vobis modo Deo annuente dicemus. Petrus dixit: credo in Deum Patrem omnipotentem: Johannes dixit: Creatorem cæli & terra: Jacobus dixit: credo & in Jesum Christum filium ejus unigenitum. Andreas dixit: qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria virgine; Philippus dixit: passus sub Pontio Pilato crucifixus, mortuus & sepultus. Thomas ait: descendit ad infernum, tertia die resurrexit a mortuis. Bartholomæus dixit: ascendit in cælum, sedet ad dextram Dei Patris. Matthæus dixit: Inde venturus est judicare vivos & mortuos. Jacobus Alphaei: Credo & in Spiritum S. sanctam ecclesiam catholicam. Simon Zelotes sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Judas Jacobi, carnis resurrectionem. Matthias complevit: & vitam aternam Amen.*

§. 3. Urgent & Baronius & Natalis Alexander hoc præcipue, quod symbolum hoc *Apostolicum* vocetur, adeoque merito illis adscribendum sit, cum tamen symbolum hoc ita vocetur, non quod conjunctim aut

figillatim ab Apostolis sit constructum, sed quod doctrinae & fidei Apostolorum innitatur, & hinc etiam Patres, quos Baronius longo agmine producit, nimirum *Irenaeus, Hilarius, Basilius M., Cyrillus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius*, alique, quando hi mentionem symboli faciunt, affirmant hoc esse apostolicum ratione doctrinae, non auctorum, quod contineat universae summam doctrinae, a discipulis Christi eorumque aedulis ac successoribus in omnes terrarum oras disseminatae, & ecclesiam symbolum hoc *ratione doctrinae* semper intemeratum servasse.

§. 4. Dispiciendum jam est de Augustini testimonio, quod vulgo, sed minus recte illi tributum fuit. *Omnes enim paucis quibusdam exceptis adulterum hoc scriptum & a sciolo aliquo interpolatum esse profitentur, cum verba non solum, sed etiam textus innuere aliud videntur, verba sunt D. Neumanni in diss. de conditoribus symboli Apostolici.* Quid quod? ipsi Benedictini Parisienses in editione sua operum Augustini hunc sermonem tanquam certo certius, spurium rejiciunt. *Vid. Cave H. L. P. I. p. 172.* Ruffini vero testimonium, quod adeo crepant Baronius & Natalis, plane nullum est. Vixit enim longe post Apostolorum tempora & quidem sub finem seculi IV. cujusque fides & candor plurimis merito est suspecta. Haec est *in ipsius doctissima G. Cave l. c. p. 106 Negari non potest, Ruffinum in vertendis e Græco sermone aliorum scriptis pessima fide ut plurimum egisse, mutando, addendo, truncando, ut nova potius quam aliena videri possent.* Addo & hoc, quod sententiae huic maximo sit praejudicio silentium tam profundum Lucae, qui tamen in describendis Apostolorum actis nimium quantum erat sollicitus: (2) quod patres II. & III. seculorum solliciti sunt, demonstrare contra haereticos symbolum hoc esse Apostolicum, & tamen non addant, esse hoc ab Apostolis conditum. Accedit (3) tam oreberrima symboli variatio, & quod plura uno tem-

tempore nimirum sec. IV. Aquilejense, Romanum & totius orientis symbola fuerunt, quæ autem non fuissent admissuri Patres primarii, si symbolum hoc pro genuino Apostolorum agnovissent. Denique (4) soli latini & nulli Græcorum hanc collationem recensent, & quæ sunt alia plurima, quæ hujus sententiæ veritatem vacillant.

CAP. II.

DE

Fabulis circa Apostolos in specie

§. I.

DE PETRO

PETrum carcere jussu Neronis inclusum precibus christianarum animarum fuga se salvasse, fabulatur Baronius ad annum Christi 69. n. VI. & VII. Affert in testimonium S. Ambrosium, cujus verba hæc sunt: *Petrus nocte muro egredi coepit, & videns sibi in porta Christum occurrere, urbemque ingredi, ait: Domine quo venis? Respondit Christus: venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum, Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione mortis suscepta exuerat. Quod enim mortuus est, mortuus est semel quod autem vivit, vivit Deo. Intellexit ergo Petrus, quod Christus iterum crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit, interrogantibus christianis responsum dedit, statimque correptus per crucem suam honorificavit Dominum Jesum.*

G 3

Hæc

Hæc Ambrosius, qui licet *Cave in App. ad Hist. lit. p. 83.* audiatur vir pro seculi sui captu eruditissimus, tantæ tamen auctoritatis non est, ut ipsi in re incerta totque scriptoribus antecedaneis ignota, fides habeatur, vixit nempe sec. XV. & cognomine audit Camaldulensis. Provo- cat quidem Baronius etiam ad acta passionis Petri, Lini nomine conscripta, sed cum ipse pro genuinis illa non agnoscat, refutatione non indigent. Dicit quidem ean- dem historiam contineri in actis sanctorum martyrum Processi atque Martiniani, sed uti res ipsa de his duobus martyribus incerta, ita etiam illorum acta nullam meren- tur fidem. Hegesippum ejusque libros de excidio Hierosolymitano, quos Baronius adducit, quod attinet, est hic scriptor plane dubius. Nam *Bellarminus ipse lib. de script. eccl.* de illis fatetur, quod sint supposititii: *libri: in- quit, de excidio Hierosolymæ, qui l. sub nomine Egesippi cir- cumferuntur, aut alterius Egesippi recentioris, aut supposititii sunt? certe ex lib. 3. c. V. colligitur, post constantini tempora libros illos fuisse conscriptos.* Et Cl. Cave H. L. p. 162. no- tat, P. Colomesium annotasse in membranis pervetu- stis Cl. Is. Vossii eraso Josippi nomine Hegesippi consti- tutum comparere.

§. 2. Infinita alia de Petro tradunt, quæ aut incerta sunt, ut ejus iter Romanum, disceptatio cum Simone mago, aut partim manifesto falsa, ut fabulæ in- numeræ emunctiorum narium Pontificiis explosæ.

§. 3. Petri crucifixi corpus a marcello presby- tero curatum aromatibusque conditum, magnificentissi- me more regio, ne dum Judaico sepulturæ traditum esse, refert *Baronius ad ann. Christi 69. n. 20.* & paulo post n. 22. ejusd. anni, ex Grægorii Papæ epistola ad Constan- tinum Augustum addit, orientales christianos eodem
anno

anno quo passi sunt Petrus & Paulus sacra eorum corpora in palestynam transferri voluerunt, quæ ducta usq; ad secundum orbis miliarium in loco, qui dicitur ad Catatombas, collocata sunt. Sed dum ea inde levare omnis multitudo eorum conveniens niteretur, ita eos vis tonitruï atque fulguris nimium metu terruit atq; sperfit, ut talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romam eorum corpora, qui hoc ex pietate Domini meruerunt, levaverunt, & in locis, quibus nunc sunt posita condiderunt. Hæc ille. Quanta vero huic narrationi fides habenda sit, quilibet facile videt. Nam quod sepulchrum Petri a Marcello factum attinet, probat illud Baronius ex actis Lini, quorum tamen auctoritatem paulo ante ipse rejecerat, & quod Gregorium Papam concernit, est ille scriptor seculi demum VI. & uti *Cave Hist. L.P.I. p. 305.* de epistolis ejus fatetur, immiscentur illis supposititiæ haud pauca. Præterea si vel maxime genuinæ ille epistolæ essent, sunt tamen conscriptæ illo demum seculo, ubi superstitio ac reliquiarum cultus jam vigere inceperat.

§. 4.

DE S. ANDREA,

Gregorius Turonensis de gloria Martyrum lib. I. c. 31. scribit de S. Andrea cadavere, quod quotannis ex eo profluxerit oleum pretiosum, quod pro abundantia sua vel defectu aut paucitate signum fuisse dici futuræ fertilitatis vel sterilitatis totius anni, addit etiam, aliquot annis tanta cum copia oleum profluxisse, ut instar fluminis medio templi visum sit. Hæc Gregorius: quæ certe refutatione ulteriore non indigebunt, dummodo judicium Cave de hoc Gregorio Turonensi superius jam

am a nobis adductum, lector consuluerit, cui pollicem premit omnis eruditorum natio. Præterea supra est jam annotatum, liquidi hujus fluxus causas naturales esse, nec tam corporis quam loci humiditati id esse adscribendum.

§. 5.

DE S. JACOBO Majori

Sanctum Jacobum ante Apostolorum dispersionem nefatio ausu ab Herode esse occisum testantur acta apostolica, de hujus vero corpore & sepultura traditiones sunt plurimæ. Monachus nimirum quidam ex Abbatia La-Fleury apud G. Cave! Ant. Apost. p. 506. hanc de illo consignavit fabulam, Apostolos quendam Ctesiphonem nomine Hispaniæ episcopum ordinasse, eumque cum aliis quibusdam sociis eo ablegasse. Hi ergo, teste eodem, navem ingressi S. Jacobi cadaver secum sumserunt, sine velo & remis mari se committentes, unice confisi meritis & virtute illius viri, cujus cadaver secum in navi habebant. Postquam igitur illi intra 7. dies portum quendam Hispaniæ attigissent, subito exorto magno tonitru corpus Jacobi evanuit, quod tamen multis precibus & lacrymis iterum invenerunt, in eum ab Angelo adducti locum, ubi hoc erat sepultum. Læti igitur accipientes illud, accesserunt genere nobilem matronam Lupariam, ab ea petentes, ut sibi hoc corpus illo in loco sepeliendi fuerit potestas. Renuente quidam illa dirisque eas devovente, multis tamen dein miraculis factum esse perhibetur, ut ipsa ad fidem christianam conversa S. Jacobi corpus sepeliri fanumque suum B. Jacobi dicari jufferit. Sic se habet fabula, de qua quid habendum sit, esto penes lectorem judicium, ego quidem affirmanti facile assentiar, dummodo me de certitudine hujus miraculi confirmet, cum hæc
omnia

omnia mera nitantur traditione & apud nullos probatos auctores ejus fiat mentio.

§. 6. Idem etiam judicium ferendum est de fundatione ecclesiarum in Hispania per Jacobum, quicquid in contrarium afferant harum nugarum patroni ex S. Isodoro in libro de vita & morte sanctorum, ex Breviario Toletano, ex Beda in collectaneis agentibus de divisione Pontificiorum ex Turpino Archiepiscopo Remensi in libro de gestis Caroli M. Imperatoris, cum adducti hi libri omnes sint supposititii, nec Isidori liber adductus genuinus ejus foetus sit, & Bedæ collectanea tanto auctore, (teste Nat. Alex.) prorsus indigna & sic etiam de reliquis. Prætera hujus rei falsitatem satis arguit, quod Jacobus Hierosolymis ante dispersionem omnium Apostolorum primus martyrio affectus sit, qua igitur ratione Hispanias peragrarare potuit? Et si institutibus certo sibi hac de re constaret, cur orta inter Archiepiscopos Toletanum & Compostellanum de jure primatus controversia tantas movit lites? & cur non potuit facili negotio sopiri, dum Archiepiscopus Toletanus præsentem Romano Pontifice Innocentio III. hujus rei veritatem aperte negarit? Fabulæ igitur sunt, ipsisque cordatioribus pontificiis explosæ. Conf. Nat. Alex. sec. I. diff. 15. p. m. 157. seqq.

§. 7.

DE S. JOANNE.

MOrtem S. Johannis beatissimam putidissimis pro more suo contaminavit fabulis Nicephorus, quando *H. E. lib. II. c. 42.* ita de eo scribit. *Quum (Johannes) dudum transitionem suam ad Deum, diemque & horam ejus prævidisset, presbyteris ministrisque ecclesia & præterea quicumque flagranti essent fidei, fratribus assumptis extra Ephesiorum*

H

rum

rum urbem progreditur; & cum eis in vicinum quendam
tumulum, quo frequenter ire precationi operam daturus sole-
bat, conscendit, ibi vehementius orans ecclesias Deo commen-
dat, mox sarculis quibusdam & lignibus celeriter sepulchrum
sibi fodi precipit: deinde eos qui tum aderant, arcanis de
Deo verbis & praeceptis optimis de fide, spe & potissimum di-
lectione (quippe dilectus ipse) erudit, & corda eorum confir-
mans, Servatori verbo commendat. Postremoque illis in Do-
mino salvere & valere iussis, ubi se crucis signo communisset,
in monumentum descendit, operculumque ei imponere, & id
firmius communit, denique reverti eos postea sepulchrum
aperire, diligenterque perspicere mandat. Hoc modo, cum ille,
ut vestibus sepulchralibus amictus erat, in fossam descendisset,
seque ad obitum composuisset, statim eo, qui iustis debetur, sopitur
somno. Et paulo post addit Nicephorus: porro die sequenti,
quibus id commissum fuerat, ita ut praeceptum acceperant ad mo-
numentum venerunt, operculoque ejus avulso, nihil ibi aliud
quam sepulchralia lintea repererunt. Ejusdem farinae fa-
bula est, quam Augustinus habet Tract. 124. in Joh. c. 21.
„Tom. 9. editionis Parisiensis. Qui non credit Johannem
„esse mortuum asserat illum vivere, atque in illo sepul-
„chro ejus, quod est apud Ephesum, dormire eum potius
„quam mortuum jacere contendat. Assumat in argu-
„mentum, quod illic terra sensim scatere & quasi ebulli-
„re perhibetur, atque hoc ejus anhelitu fieri sive con-
„stanter sive pertinaciter asseveret. Fuisse vero Augu-
„stinum ipsum huic sententiae addictum patet ex verbis
„subsequentibus quando inquit: Huic opinioni superva-
„caneum puto reluctari. Viderint enim qui locum
„sciunt, utrum hoc ibi faciat vel patiat terra, quod di-
„citur, quia & revera non a levibus hominibus id audivi-
„mus. Interim cedamus opinioni, quam certis docu-
mentis

mentis refellere non valemus. Hæc sunt quæ de morte S. Johannis habet & Nicephorus & Augustinus, illius quidem commentum refutatione non indiget, quippe quod nulla Patrum auctoritate confirmatur, & Augustinus l. c. jam suo tempore fatetur traditionem hanc ex scripturis apocryphis fuisse desumptam, hujus vero *Toletus Com. in Joh. p. 575. Hippolyto* adscribit, qui ejus in oratione de consummatione mundi & Antichristo ac secundo Domini adventu meminerit. Sed ab eruditis jam dudum evictum est, hunc foetum non esse Hippolyti, Vid. de eo judicium Usserii apud *Guilielmum Cave H. L. P. l. p. 51.*

§. 8.

DE PHILIPPO.

Circa Philippi crucifixionem multitudinem spectantium fuisse submersam, atque in summum urbem Hierapolin decidisse periculum scribit *Nicephorus H. E. lib. II. c. 39.* quod quidem per divinam potentiam fieri potuisse non negamus, auctoritati tamen *solius* Nicephori hac in re subscribere non possumus.

§. 9.

DE MATTHÆO.

Multa de hoc scribit *Nicephorus H. E. lib. II. c. 41.* eum scilicet ad Anthropophagorum terram in civitate, cui nomen est Myrmæna, pervenisse, in qua Platone sectatore suo episcopo declarato in quendam civitati proximum collem conscendisse, utque sibi gentis ejus salus revelaretur, orasse. Hoc ita agenti Apostolo Dominum Jesum formosi pueri specie adstitisse, qui pa-

H 2

cem

Cem illi precatus, virgam in manus ei dat. Hanc virgam postea Matthæus a domino plantare jussus, ad portam illius ecclesiæ, quam ipse Andreas construxerat, plantavit, quæ in arborem magnam & excelsam illico evasisse fructumque plurimum, magnitudine simul & sapore aliis longe superiorem tulisse, fons præterea copiosus & pellucidus cum leni susurro ex radice ejus erupisse dicitur, Hæc sunt ejusmodi, quæ ex cerebro suo Nicephorus finxit, neque ulteriori refutatione indigent, sed potius inter narrandum semet refutant.

§. 10.

DE S. THOMA.

Gregorius Turonensis lib. I. c. 32. de gloria martyrum refert de corpore S. Thomæ, in illo templo, ubi sepultum sit circa sepulchrum lampadem inveniri, quæ nunquam neque vento neque ex inopia olei semper in ea abundantis extinguere possit. Dicit se hoc habere ab indubitata fidei homine, Theodoro cognominato, qui ipse viderit. Sed an non hic etiam astutia sacerdotum deceptus sit, merito disquirat *Cave Ant. Apost. p. 575.*

§. 11.

DE PAULO.

Plurima circa mortem Pauli accidisse miracula contendit *Baronius ad annum Christi 69*; Primum inter illa est quod adducit *n. II.* cum inquit, ictu carnificis Paulus truncaretur capite, non tam sanguinis fluentia e sectis venis, quam lactis (res plane miranda) largiter fluxerunt. Porro addit *n. 3. l. c.* tres in eo loco, ubi Paulus crucifixus scatere fonticulos, qui tunc primum erupisse dicuntur, cum Pauli caput excisum tribus se saltibus vi quadam spiritus divinitus agitavit, quorum primus

primus dulcior, lactis saporem aliqua ex parte reddit; cœteri quamvis haud longe a primo distent, paulo diversum gustui saporem afferant. *Nicephorus H. E. lib. II. c. 36.* dicit. *Paulum Neroni antea testatum esse, se illi tertie a cede sua die vivum representaturum. Quod ubi est factum in consternationem illum coniecit. Et cum post mortem Paulus ita ut prædixerat, certo & vero illi assistens, libere Christum verum esse Deum profiteretur, neque veram salutem in alio quam Jesu nomine esse ostenderet. Illum quidem dicunt conatum esse, minime autem (quod visio ea repente evanuerit) comprehendere Paulum potuisse. Hæc & similia alia, quæ de Paulo circumferuntur miracula sunt supposititia, & nullam fidem merentur, pro ut res ipsa loquitur.*

CAP. III.

DE

*Mariæ Magdalena Lazari
& Marthæ in Gallias ap-
pulsu fabuloso.*

§. I.

MAriam Magdalenam, Lazarum & Martham in Gallias appulisse, ibique divinum verbum predicasse, communis est Pontificiorum traditio, præsertim illorum, qui in Galliis degunt, quibusque amor patriæ id jubet. De appulsu hujus occasione ita fabulatur *Baronius ad anni Christi 35. n. s.* circa dispersionem Apostolorum, La-

H 3

zarum

zarum, Mariam Magdalenam, Martham & Marcellam pedissequam, in quos Judæi majori odio exardescabant, non tantum Hierosolymis pulsos esse, sed una cum Maximino discipulo navi absque remigio impositos in certum periculum mari fuisse creditos, quos providentia divina Messaliam tradunt appulisse.

§. 2. Putidissimæ hujus fabulæ pudet Natalium Alexandrum, veriora ergo traditurus *diff. 17. ad sec. I.* tanquam pro aris & focis pugnat, Mariam Magdalenam, Lazarum & Martham in Gallias revera appulisse, ecclesiasque ibi fundasse, licet modum illius adventus rejiciat. Probat vero foundationem illam ecclesiarum Gallicarum (1) ex actis sanctorum tutelarium ecclesiæ Tolonensis, quæ conscripta esse dicit anno 572 (2) ex vetere codice MSC. ecclesiæ Sanitiensis, quem refert ad sec. IX. & ex aliis pluribus instrumentis, diplomatibus & historiographis plurimis, quibus recensendis jam supersedemus.


§. 3. Nos hic non faciemus nostra doctissimi Launoji argumenta, quibus hanc fabulam destruxit & in quorum refutatione mire se detorquet Natalis, unicum saltem hic adjiciemus, omnia nimirum hæc esse incerta, & inanibus futilibusque niti traditionibus, cum hoc maximo sententiæ huic sit præjudicio, quod antiquissimi scriptores & ne mediæ ætatis de his profectio- nibus nihil meminerint: omnes enim illi auctores, ex quibus testimonia sua desumpsit Natalis, sunt sequiorum seculorum, sed quis tandem illis fidem habebit?

§. 4. Eadem auctoritate rejicitur commentum, quod fingit Natalis de Mariæ Magdalenæ corpore in S. Maximini fano quiescente. De Marthæ corpore quod Tarusci conditum esse dicit, it. de Lazari, quod
Massi-

Massiliæ primo conditum fuisse dicit, omnia enim fere illa argumenta sunt ex diplomatibus Pontificum desumpta, qui post XI. secul. a N. C. vixerunt.

§. 5. Recte vero annotavit Natalis fictitium esse miraculum, quod a quibusdam auctoribus est relatam, nimirum de liberatione Caroli. II. Salernæ principis e Barcinomensi carcere B. Mariæ Magdalenæ virtute nulla ope humana, ejusque Narbonam usque mirabili translatione. Circa quod certe commentum, cum nitatur hypothese de sanctorum virtute falsæ & incertæ a theologis orthodoxis pluribus in locis explosæ, præterea etiam a Natali satis refutatum sit, non diu in refutando illo morabimur, sed potius dissertationi nostræ B. C. D. inchoatæ eodem benigne favente imponemus

F I N E M.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Fi 124



ULB Halle 3
004 764 82X



f


Sb.

1017

2017







Farbkarte #13

B.I.G.

ORIA SECVLI PRIMI
IS VARIORVM
ACVLATA


QVAM
D. O. M. A.
PRÆSIDE
DREA SCHMIDT

MARIÆVALLENSI
doctore ejusdemque ac Sacrarum
Professore Publico Ordinario
, Præceptore ac Hospite suo
eternum de venerando

aditorum disquisitioni subiciet
PONSVRVS AVTOR
R. WEDDERKAMP
Vltzensis
ad diem XV. Maji



HELMSTADII,
WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.
ANNO M DCC,



Handwritten signatures and notes at the bottom right of the page.